De Sophoclis Oedipode Coloneo.

De Sophoclis Oedipode Coloneo.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

QUOD

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

K. MARTIN,

PHILOS. DOCT., IN FACULT. DISCIPL. MATH. ET PHYSIC. PROF.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN LITERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

JOHANNES HOOYKAAS

EX OPPIDO SCHIEDAM.

DIE XVI MENSIS APRILIS, A. MDCCCXCVI, HORA III.

LUGDUNI-BATAVORUM.
APUD A. W. SIJTHOFF.
MDCCCXCVI.

CONSPECTUS CAPITUM.

De septem Sophoclis fabulis viri docti multa scripserunt et complures sententias protulerunt; de nulla tamen tam crebro iudicium est pronunciatum quam de ea, quae „Οἰδίπους ἐπὶ Κολωνῷ" inscribitur, neque solum multae, verum etiam plane diversae sententiae illa de tragoedia editae sunt. E multis nonnullas afferre libet.

Scriptores Graeci et Latini (anonymus, qui vitam composuit, is, qui argumentum scripsit, Cicero, Appuleius, Valerius Maximus, Plutarchus, Lucianus) senis Sophoclis hoc opus esse, quod supremis vitae diebus conscripserit, in quo igitur condendo non multo ante annum 406 occupatus fuerit, ad unum omnes nobis tradunt, quam opinionem huius saeculi plurimi viri litterati, in quibus Bode, Müller, Bernhardy, Bergk, Nauck [1]), veram et certam esse affirmant. Verum horum omnium sententiae alios eosque de litteris Graecis optime meritos non potuerunt deterrere quominus a sene Sophocle Oedipum Coloneum compositum esse negarent; viri enim doctissimi G. Hermann, K. Lachmann, A. Schöll ante pacem Niciae, Böckh non multo post annum 421, W. Christ [2]) utique multis annis ante poëtae mortem fabulam scriptam et actam esse contendunt.

Quamvis — ut aliam tangam rem controversam — antiqui omnes

---

1) G. H. Bode, Geschichte der hellenischen Dichtkunst 1839 III, 419.
K. O. Müller, Geschichte der griechischen Litteratur 1857 II, 135.
G. Bernhardy, Grundriss der griechischen Litteratur 1872-76 II, 2, 357.
Th. Bergk, Griechische Litteraturgeschichte 1872-1884 III, 432.
Aug. Nauck, Sophocles erklärt von F. W. Schneidewin achte aufl. besorgt von A. Nauck 1883.
Dubitanter R. C. Jebb, The Oedipus Coloneus Cambridge 1889.

2) G. Hermann in praefatione fabulae pag. 13 (anno 1825).
K. Lachmann, Rhein. Mus. I, 313 ff.
Ad. Schöll, Philologus 1867, Band 26, pag. 385.
Aug. Böckh, Prooem. Aest. Berol. 1826 (Ges. Schrift. IV, 228).
W. Christ, Geschichte der griechischen Litteratur 1889, pag. 186.

tragoediam e pulcherrimis unam esse ac opus postremum fere praestantissimum fuisse arbitrentur, multique huius aetatis viri item fabulam laudibus efferant [1]), nostro tamen saeculo non desunt, qui multa vituperent, saepe sibi displicere dicant tragoediam, immo opus summo poëta indignum, neque tale, quale nunc habeamus, a Sophocle scriptum esse censeant [2]).

Maioris vero momenti haec mihi videtur quaestio: quid sibi vult fabula nostra? quo consilio a Sophocle scripta est? – Qua in re quamquam fere omnes viros litteratos consentire video, cum iis facere nequeo, ita ut operae pretium mihi videatur meum qualecumque iudicium argumentis documentisque confirmare conari.

Multum autem referre, qui fabula accipienda sit, hanc ob causam arbitror, quia nonnulli viri docti censent, ex hac fabula cognosci posse, quid de hominum officiis et virtutibus deque deorum cum iis commercio poëta senserit. Quas Sophoclis sententias compertas habere nobis magnae est utilitati; poëtam enim antiquum et praesertim poëtam tragicum suo pretio aestimare et penitus intellegere nemo potest, quin illius poëtae opiniones theologicas et ethicas, quae dicuntur, bene perspexerit.

Ad fabulam vero nostram recte intellegendam duae, nisi fallor, res sunt, quae accurate perpendantur necesse est; prior, quid de Oedipode et de eius indole vitiisque ipse iudicaverit poëta, altera, quatenus apud poëtam nostrum in Oedipodis vita misera beataque morte potestas cernatur Furiarum. De utraque re controversa nonnulla disputare, quam Sophocles me iudice Oedipodi tribuerit personam, et quid inter Sophoclis atque Aeschyli Furias intersit, investigare, postremo, quid de hac fabula meum sit iudicium, exponere his paginis in animo habeo.

---

[1]) In primis J. P. Mahaffy. History of Greek Classikal Litterature. London 1883. I, 305: „But on the whole, for vigour, for variety and for poëtic beauty, no play of Sophocles exceeds this Oedipus and I am even disposed to agree with those, who rank it the first of his drama's."

Maurice Croiset. Histoire de la Litterature Grecque. Paris 1891. III, 241: „C'est pourtant une de celles, dont le charme est le plus pénétrant."

Paul de Saint-Victor. Les deux Masques. Paris 1895. II 181: „Cette dernière tragédie de Sophocle n'est point sublime, elle est vénérable."

M. Patin. Études sur les Tragiques Grecs. Paris 1865. II, 248: „ce chef d'oeuvre de son extrême viellesse."

[2]) Praesertim Ad. Schöll l.l. et Allard Pierson. Hellas. Haarlem 1891. I, 350.

DE OEDIPODIS SENIS SANCTITATE.

Vulgo Oedipus senex, qui in fabula Sophoclis nobis ante oculos ponitur, vir habetur pius summoque dignus honore; culpam suam — ut breviter virorum doctorum sententias reddam — penitus cognovit et, quamvis invitus deliquerit, poenitentiae est plenus, deorum magnam omniaque superantem potestatem agnovit, quae dii velint, hominibus aequo animo ferenda esse perspexit, iram atque iracundiam devictas habet, quietam consideratamque sibi obtinuit mentem, propius iam quam ceteri omnes mortales ad deos accessisse videtur, vir omnino dignus, qui insolito modo e vita eximatur. Quin etiam, cum filium nefarium obruit criminibus, probris, diris, non iam Oedipus homo mortalis loqui videtur, sed divina iustitia, dii ipsi, qui mox eum ex hominum coetu avocabunt; iam heros paene est ab hominibus summa colendus pietate. Quam ad rem probandam afferuntur ex fabulae initio versus septimus et octavus:

στέργειν γὰρ αἱ πάθαι με χὠ χρόνος ξυνὼν
μακρὸς διδάσκει καὶ τὸ γενναῖον τρίτον.

et quae mox sequuntur:

μανθάνειν γὰρ ἥκομεν
ξένοι πρὸς ἀστῶν, ἂν δ' ἀκούσωμεν τελεῖν.

Adduntur etiam ea, quae, cum chori senes advenire audit, Antigonae dicit Oedipus:

(vs. 115) *ἐν γὰρ τῷ μαθεῖν*
ἔνεστιν ηὑλάβεια τῶν ποιουμένων.

Quae ne comminisci videar, inspicite, quaeso, praefationem huius fabulae ab A. Nauckio editae, viro melius de Sophocle merito quam quem ego laudem.

pag. 1. „Von dem glänzenden Schimmer früherer Herrlichkeit ist ihm nichts geblieben; aber die Weihe schwerer Prüfungen hat ihn zu frommer Ergebung in den göttlichen Willen geführt: darum gewährt ihm am Abend seines Lebens derselbe Apollon, der einst sein Land und ihn schwer heimgesucht hatte, eine Ruhestätte an einem Ort den sonst kein Sterblicher betreten durfte, und die furchtbaren Vollstreckerinnen göttlicher Strafen, die Erinyen, werden an ihm zu versöhnten Eumeniden. Während er im O. R. von den Menschen fast vergöttert, von den Göttern gehasst wird, ist er hier mit den Göttern ausgesöhnt, und nur die Menschen machen die ihm zugedachte Erhöhung ihm streitig bis er nach Ueberwindung aller Hindernisse, welche Engherzigkeit, Selbstsucht und Leidenschaft ihm in den Weg legen, an der Hand der Götter aus dem Leben scheidet."

pag. 15. „Oedipus ist inzwischen in stiller Abgeschiedenheit gealtert und hat Zeit gehabt, sich mit seinem Lose auszusöhnen und die *φρένες* die Oberhand über den *ϑυμός* gewinnen zu lassen."

pag. 10. „Jedes Wort ist darauf berechnet, das Bild von Köning Oedipus auszulöschen: von vornherein tritt uns die Gottergebenheit, Genugsamkeit und jene besonnene Vorsicht entgegen, welche dem Oedipus von früher abging.... nicht bloss leiblich auch geistig ist Oedipus umgewandelt. Vide praeterea pag. 18. „So erscheint Oedipus...." et pag. 27. „Zugleich aber etc."

Neque Nauckius unus id pronuntiat, verum etiam viri doctissimi K. O. Müller, L. Preller, Fr. Lübker, G. Bernhardy, Rud. Nicolai, K. Lehrs, J. Girard, Gustav. Dronke, multi alii idem sentiunt, e quibus nonnullorum sententias, ne dubium relinquatur, hic afferam; opiniones a prolata diversas, quae rarae sunt, postea suo quamque loco commemorabo [1]), Nauckii vero sententiae similes has repperi:

K. O. Müller, Eumen. pag. 172: „Es ist ein Gedanke, der, wenn er auch meist sehr zurücktritt, doch auch dem Alterthume nicht fremd war: dass grosses Leid die menschliche Natur läutere und verkläre; die Zerstörung des Selbstischen, die völlige Hingebung, die das Unglück bei edlern Naturen herbeiführt, wurde auch vom heidnischen Alterthum als eine Vergöttlichung gefühlt: und jene geweihten der Erinys sind darum nach ihrem Tode erhabne Dämonen."

---

[1]) Vide annotationes in pag. 18, 31.

Geschichte der Gr. Lit., II, 138: „Nachdem diese irdische Verherrlichung vollbracht ist, ertönen die Donner des Zeus" etc.

Fr. Lübker Reallexicon: „Die schweren Leiden haben ihn geheiligt, sein Grab ist ein schützender Hort des Attischen Landes geworden."

L. Preller Gr. Mythol., II, 346 (2e aufl.): „Der nun ganz gebrochene (Oedipus).... findet endlich den ersehnten Tod und eine Genugthuung seines Schicksals im fremden Lande, da die Unterirdischen sich versöhnt zeigen und sein Grab ein Schutz für das Land sein wird, welches ihn gastlich aufgenommen hatte."

G. Bernhardy, Grundriss der Gr. Litt., II, 2. 357: „Jetzt betritt er, mit dem Gott versöhnt, durch Kämpfe gereinigt, am Abend seines Lebens den Hain der Eumeniden.... die Rettung und Rechtfertigung des Dulders (ist) zum Motiv gemacht."

Rud. Nicolai, Griech. Litteratur Gesch., 1873—78: „Die Heiligung des zerknickten Königs und seine Verklärung zum Heile Attika's, dessen Boden gegen die Einsprache Kreons und der Thebanischen Partei dem Orakel zufolge die Asche des Dulders empfängt, oder die Sühne unbewussten Frevels durch ein Uebermass unverschuldeten Elends auf Vermittlung der göttlichen Gerechtigkeit und Gnade, deren Trägerin die Hingebung der Töchter, die Huld der Eumeniden und die tröstliche Hoheit des Theseus wird, ist der Grundgedanke dieser vieldeutigen, dem Beifall der Schau- und Lesewelt empfohlenen Tragödie."

K. Lehrs, Populäre Aufsätze, pag. 215: .... „das herrliche Drama der Verklärung des geprüften Dulders."

J. Girard, Le sentiment religieux en Grèce 1879, 2e edit., pag. 445: „.... l'idée principale de son Oedipe à Colone.... c'est aussi une délivrance du joug de la fatalité, une purification par la souffrance, un juste adoucissement de la destinée d'un mortel, auquel il est à remarquer que les Euménides sont ègalement associées."

Gustav Dronke. Die religiösen und sittlichen Vorstellungen des Aeschylos und Sophokles. Jahrbücher für Cl. Phil. von A. Fleckeisen, 4 Suppl. 1867: „Das ganze ist das Bild des mit der Gottheit völlig versöhnten, der in der eignen Brust die göttliche Stimme vernimmt" (pag. 83).

„Ob der Dichter aber dem Leiden eine sittlich läuterende Kraft beilege, dafür fand sich im Philoktetes keine

ausdrückliche Beweisstelle. Mit grösserer Zuversicht läszt sich behaupten, dass die ganze Composition des Oedipus auf Kolonos, welche den durch Leiden zu tiefen Gottesfrieden eingegangenen Sterblichen vorführt, jene Anschauung nothwendig bei dem Dichter voraussetzt." (pag. 84).

Dr. H. van Herwerden. Drie Treurspelen van Sophocles, Utrecht 1881, pag. 58: „Na lange rondzwervingen komt hij eindelijk, door lijden gelouterd, in de buurt van Athene te Kolonos, waar hij bij het heilig woud der Eumeniden, verzoend met de godheid, een zalig einde vindt."

Stoll—Mehler. Handboek der Grieksche en Romeinsche-Godsdienstleer en Mythologie, pag. 170: „en nu, met de godinnen verzoend, door de vele ongelukken gelouterd en geheiligd, wordt hij een beschermer van het Attische land."

Dubitare non possumus, hanc si sequimur sententiam. Optimo iure Oedipus, quippe qui sanctus piusque sit ideoque prave agere nequeat, odit levirum, odit filios, odit patriam et cum illis tum huic omnia imprecatur mala. Neque sine causa; filii exsilio patris non obstiterant, levir, ut expelleretur, auctor fuerat, cives non a diis coacti, tantum inani metu vel odio impulsi e finibus regem expulerant. (Nauck. pag. 15: „Da gerade stösst ihn Creon ohne Befehl Apollons wider seinen Willen ins Exil, unter dem Vorwande" etc.). Quod tam aegre dii tulerunt, ut ipse Apollo postea Thebanis minaretur magnam iis, ni caverent, ob immitem erga Oedipum agendi rationem cladem futuram. Videte pag. 14: „Jetzt bekommen die Thebaner durch Apollon selbst, der doch einst Verbannung des Vatermörders ihnen auferlegt, die Belehrung, dass dem Oedipus durch die spätere Verbannung zu viel geschehen sei und dass sie ihn lebend oder tot in ihre Gewalt bringen müssen, um das begangene Unrecht zu sühnen."

pag. 15. „Dieses eigenmächtigen Schrittes halber zwingt gerade Apollon später die Thebaner sich um den Misshandelten zu bewerben."

Itane vero? Graecusne poëta, poëta piissimus, patriae amorem non huius esse faciendum doceat, filios odisse iisque pessima quaevis imprecari viri ducat praestantissimi et summa laude digni, neque alia ratione piam sanctamque hominis mentem illustrare possit nisi odio eius et acerbitate in medium proferendis? Itane Sophocles ipse de patria et propinquis se meritum esse vellet? Et eum in

exilium a civibus missum esse valde veri similis coniectura est viri clarissimi J. van Leeuwen [1]): hic igitur tum eius animus fuerit? hae cogitationes, hoc odium?

At exclamationibus nil demonstratur, nil proficitur; quas missas igitur faciam, invitus tamen; nam nihil — bona venia dixerim — a vero longius remotum quam sententia reddita, nihil falsius mihi esse videtur.

Oedipus, aiunt, expiatus est; non tamen ita, ut virum purum amplecti vel manu prehensa osculove oblato gratiam suam declarare audeat. Audite quibus verbis ipse Oedipus filiabus reciperatis Theseum alloquatur (vs. 1130):

καί μοι χέρ', ὦναξ, δεξιὰν ὄρεξον, ὡς
ψαύσω φιλήσω τ', εἰ θέμις, τὸ σὸν κάρα.
καίτοι τί φωνῶ; πῶς ἂν ἀγνὸν ὄντα σὲ
θιγεῖν θελήσαιμ' ἀνδρός, ᾧ τίς οὐκ ἔνι
κηλὶς κακῶν ξύνοικος; οὐκ ἔγωγέ σε,
οὐδ' οὖν ἐάσω· τοῖς γὰρ ἐμπείροις ⏑ —
μόνοις οἷόν τε συνταλαιπωρεῖν τάδε
σὺ δ' αὐτόθεν μοι χαῖρε....

Quid Theseus? Iniustumne illum censet scrupulum? Ne verbo quidem obloquitur.

„At enim falsa haec est hominum sententia; nobilis et pius animus statim e verbis elucet." — Legamus igitur verba, quibus Antigona senem alloquitur, cum filium pater audire recusat:

ἔφυσας αὐτόν· ὥστε μηδὲ δρῶντά σε
τὰ τῶν κακίστων κἀσεβεστάτων, πάτερ,
θέμις σέ γ' εἶναι κεῖνον ἀντιδρᾶν κακῶς.
ἀλλ' εἶξον· εἰσὶ χἀτέροις γοναὶ κακαὶ
καὶ θυμὸς ὀξύς...

Pulcherrimi versus et puella dignissimi nobili, filia pia, sorore amanti, quae semper summa virtute et honestate nostram excitat admirationem. Quis non movetur splendidis versibus?

ὦ ξένοι
αἰδόφρονες, ἀλλ' ἐπεὶ
γεραὸν πατέρα τόνδ' ἐμὸν
οὐκ ἀνέτλατ', ἔργων

---

[1]) Vid. Mnem. 1892, pag. 215 sqq.

ἀκόντων ἀΐοντες αὐδάν,
ἀλλ' ἐμὲ τὰν μελεάν, ἱκετεύομεν,
ὦ ξένοι, οἰκτίραθ', ἃ
πατρὸς ὑπὲρ τοῦ μόνου ἄντομαι
ἄντομαι οὐκ ἀλαοῖς προσορωμένα
ὄμμα σὸν ὄμμασιν, ὥς τις ἀφ' αἵματος
ὑμετέρου προφανεῖσα, τὸν ἄθλιον
αἰδοῦς κύρσαι. ἐν ὔμμι γὰρ ὡς θεῷ
κείμεθα τλάμονες. ἀλλ' ἴτε, νεύσατε
τὰν ἀδοκήτην χάριν.
πρός σ' ὅτι σοι φίλον ἐκ σέθεν ἄντομαι
ἢ τέκνον ἢ λέχος ἢ χρέος ἢ θεός·
οὐ γὰρ ἴδοις ἂν ἀθρῶν βροτὸν ὅστις ἄν,
εἰ θεὸς ἄγοι,
ἐκφυγεῖν δύναιτο.

Et cum de patre loquitur misero et cum viros orat ignotos et cum ad patris salutem misericordia, quam ipsa movet, uti conatur et cum deorum implorat auxilium, nobis proponitur quasi virtutis exemplar. Ecce verba ex ima poëtae mente, ubi ipsum audimus, ipsum sentimus. Per totam tragoediam eundem animi statum Antigona ostendit; patre vivo nil nisi patrem curat: (vs. 347 *Ἀντιγόνη*)

ἀεὶ μεθ' ἡμῶν δύσμορος πλανωμένη
γερονταγωγεῖ, πολλὰ μὲν κατ' ἀγρίαν
ὕλην ἄσιτος νηλίπους τ' ἀλωμένη
πολλοῖσι δ' ὄμβροις ἡλίου τε καύμασιν
μοχθοῦσα τλήμων, δεύτερ' ἡγεῖται τὰ τῆς
οἴκοι διαίτης, εἰ πατὴρ τροφὴν ἔχοι.

Illo mortuo de se nihil; tantum de parente caeco, quem non iam curare non iam colere poterit.

vs. 1697: πόθος τοι καὶ κακῶν ἄρ' ἦν τις,
καὶ γὰρ ὃ μηδαμὰ δὴ τὸ φίλον φίλον.
ὁπότε γε καὶ τὸν ἐν χεροῖν κατεῖχον.

Ergo etiam mala quodam modo aliquis desiderat! Nam vita nostra durissima mihi grata erat, quandoquidem patrem fovere poteram.

At posthac patrem adiuvare non poterit; sepulcrum vero eius utinam visere et colere sit licitum; licere Theseus negat; rursus

de se nihil, sed statim cura de fratre, ad illum utinam se mittat Athenarum rex, ut, si quid boni possit, Thebis efficiat.

Nolite tamen suspicari ex virtute eam quaerere gloriam; contrarium docent ipsius verba; nam cum pater post filiarum a Creonte vi abactarum reditum exclamat:

ὦ φίλτατ' ἔρνη,

gaudium illud Antigona modeste revocat ad legem naturae, omnem prolem parentibus esse caram:

τῷ τεκόντι πᾶν φίλον. (vs. 1108)

Nonne ipsius poëtae hic veram tenemus sententiam? Nam Sophocles, quem de religione et honestate saepe secum meditatum esse, quemque identidem alterum officium cum altero comparasse multa ostendunt, ubi duas prorsus inter se pugnantes sententias a personis in scena agentibus defendi facit, utra probanda sit, utram ipse improbet, indicare solet. (Ulyxem et Atridas in fabula Ajace Ulyxem et Neoptolemum in fabula Philoctete Antigonam et Creontem in fabula Antigona commemorasse satis est, opinor). Alterum utrum igitur putemus necesse est; aut Antigonam errare misericordia et amore permotam, aut Oedipum odio et ira impulsum. Utrum veri similius videtur? Filiamne falli, quae semper religiosam et sanctam, officiosam et piam se praestet, quae liberis ignoscendum verbis, patrem colendum esse re ipsa doceat, an patrem, qui suam tantummodo curet salutem, qui praescripta et instituta neglegat maiorum, quem patriae taedeat, qui filios oderit, cuius de animo aspero et iracundo passim verba fiant?

DE SUMMO BONO FIXO ET STABILI.

Operae mihi videtur pretium paullisper hic subsistere et recordari, quale in rebus ethicis Sophoclis sit iudicium; utrum, quod cuique dulce vel utile sit et cum natura cuiusque congruat, id bonum quoque iudicet, sua quemque indole ad varios diversosque fines duci ratus et Protagorae *ἁπαντῶν χρημάτων μέτρον ἄνθρωπον εἶναι* statuenti assensus, an boni malique normam aliquam ex aeterno fixam stabilemque fuisse et semper esse mansuram arbitretur, homines autem non alium alia regula iudicandos esse, sed prout pro suis quisque viribus fini omnibus proposito appropinquaverit, ita parvi aut magni esse faciendum. Qua in re poëtae iudicium dubio non obnoxium est, quippe qui identidem disertis verbis de legibus non scriptis, quae semper et ubique valeant et quarum notitia quasi a natura in hominum mentibus impressa sit, mentionem faciat. Quamquam in transitu monendum videtur antiquitatis Graecae plane alias fuisse opiniones, neque poëtae nostro, quamvis cuperet, contigisse ut omnino communi coeno, ut ait Horatius, plantam evelleret; polytheismus, qui vocatur, cum stabili boni malique norma, cum aeterna iustitia, sociari non potest et is, qui multos deos esse credit, iustitiam severam numinibus abiudicat. Sed quam iniqui, inconstantes, vitiosi dei Graecorum fuerint, mox recordabimur, nunc quam pulchrae opiniones notionesque in Sophoclis tragoediis inveniantur, videamus.

εἴ μοι ξυνείη φέροντι
μοῖρα τὰν εὔσεπτον ἁγνείαν λόγων
ἔργων τε πάντων, ὧν νόμοι πρόκεινται
ὑψίποδες, οὐρανίαν

δι' αἰθέρα τεκνωθέντες, ὧν Ὄλυμπος
πατὴρ μονός, οὐδέ νιν
θνατὰ φύσις ἀνέρων
ἔτικτεν οὐδὲ μή ποτε λάθρα κατακοιμάσῃ.
μέγας ἐν τούτοις θεός, οὐδὲ γηράσκει.

Haec canunt Thebani Iocastae impietate erga deos modo patefacta perterriti O. R. 863—872. Eodem modo Electrae pietas a virginibus celebratur El. 1093—97:

ἐπεί σ' ἐφηύρηκα μοίρᾳ μὲν οὐκ ἐν ἐσθλᾷ
βεβῶσαν, ἃ δὲ μέγιστ' ἔβλαστε νόμιμα, τῶνδε φερομέναν
ἄριστα τᾷ Διὸς (?) εὐσεβείᾳ.

Rebus secundis digna es, nam, quae omnibus praestant rebus, ea tu in primis colis. Ubi manifesta denuo fit poëtae sententia summum atque ultimum bonum magis quam quidquam aliud esse colendum.

Nemo autem ignorat splendidos versus, in quibus Antigona dicit plus valere deorum voluntatem mortuos honorari iubentium quam imperium regium et iussa civica (Ant. 450—58):

οὐ γάρ τί μοι Ζεὺς ἦν ὁ κηρύξας τάδε,
οὐδ' ἡ ξύνοικος τῶν κάτω θεῶν Δίκη
τοιούσδ' ἐν ἀνθρώποισιν ὥρισεν νόμους·
οὐδὲ σθένειν τοσοῦτον ᾠόμην τὰ σὰ
κηρύγμαθ', ὥστ' ἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν
νόμιμα δύνασθαι θνητὰ φύνθ' ὑπερδραμεῖν.
οὐ γάρ τι νῦν γε κἀχθές, ἀλλ' ἀεί ποτε
ζῇ ταῦτα, κοὐδεὶς οἶδεν ἐξ ὅτου 'φάνη.

Si vero fas et ius inter se pugnent, pietatem erga mortuos semper pluris faciendam esse, et in Antigona fabula et alias subinde poëta indicavit; cf. Ant. 75, 89, 745 (τιμὰς τὰς θεῶν) Elect. 246—251, 968—981. Aj. 1130 sqq. (δαιμόνων νόμους), 1335, 1343—47 (τοὺς θεῶν νόμους), 1363 κ.τ.ἑ.

At non solum in pietate erga deos, parentes, mortuos praestanda, sed semper atque ubique cum ius et fas inter se certant et homines aliud, aliud dii imperant, fas magis quam ius valeat oportet; videte fragm. 234 [1])

[1]) Fragmenta affero secundum Dindorfium.

σοφὸς γὰρ οὐδεὶς πλὴν ὃν ἂν τιμᾷ θεός.
ἀλλ' εἰς θεοὺς ὁρῶντα, κἂν ἔξω δίκης
χωρεῖν κελεύῃ, κεῖσ' ὁδοιπορεῖν χρεών·
αἰσχρὸν γὰρ οὐδέν, ὧν ὑφηγοῦνται θεοί.

Iovis enim consilia semper cum divina iustitia congruunt, quod hac imagine poëtica expressum videmus:

δίκη, ξύνεδρος Ζηνὸς ἀρχαίοις θρόνοις. (O. C. 1382)

Addi potest, Sophoclem saepe de summo iure (*δικῄ*) quasi de re stabili et fixa, semper rata atque ubique valenti loqui (Phil. 926, 1036. O. R. 885. O. C. 996. El. 70, 338, 476. Ant. 369, 538, 923, 1270 etc.).

Statuamus autem necesse est poëtam, qui summi boni splendidam vividamque imaginem mente sibi informasset, quanti homo quispiam esset faciendus, non ex rebus secundis vel adversis aestimasse, sed ad summi illius boni imaginem mortalium diiudicasse pretium, neque unquam virum, quem magnis animi vitiis obnoxium esse censeret, quasi pium sanctumque atque caelo dignum picturum fuisse. Et quoniam veri simile est eum, qui magnam et excelsam notionem primus protulerit vel prae ceteris celebraverit, clarius quam aequales maioresque perspexisse, quid rectum, quid pravum, quid animi virtus, quid vitium esset habendum, ratio fert ut sumamus Sophoclem, apud quem primum [1] *νόμων ἀγράφων* fiat mentio, multo melius quam plerosque suae aetatis homines sensisse, quid in vita fugiendum, quid petendum esset, qualisve homo summa esset observantia dignus.

Non sane contendam Sophocli fuisse notiones Christianas, immo vere Graecum fuisse satis novi; sed cavendum esse arbitror, ne etiam infra ipsius populares eum ponamus; quorum plerosque sine dubio longe superabat. Nihil enim ante Platonem in litteris Graecis invenitur nobilius sententiis, quae apud Sophoclem exstant: huic opinionem, quae eo indigna sit, tribuere nefas duco.

---

[1]) Thucydides, qui (Lib. II. cap. 37 in fine) eadem voce „*νόμοι ἄγραφοι*" utitur, sine dubio post Sophoclis fabulas actas libros suos scripsit et Socrates, qui apud Xenophontem (Mem. 4. 4. 19) rogat: *Ἀγράφους δέ τινας οἶσθα νόμους;* et plura de illis legibus disputat, secundum virum doctissimum E. Zeller circa belli Peloponnesiaci initium publice disserere instituit; diu igitur post Sophoclis fabulam Antigonam, quam ante annum 441 actam esse apud fere omnes constat.

DE OEDIPODIS SENIS VITIIS ANIMI.

Iam fabulam tractare pergam, uti argumentum argumento subveniat. Utique Oedipum a poëta non sanctum, sed virum mortalem mortalium vitiis obnoxium nobis ostendi contendo et ex ipsis Sophoclis verbis demonstrare conabor.

Postquam pius ille et expiatus Oedipus filium est exsecratus, ne Athenis calamitatis causa fiat timent senes Athenienses, qui canunt (vs. 1148):

νέα τάδε νεόθεν ἦλθέ μοι
βαρύποτμα κακὰ παρ' ἀλαοῦ ξένου,
εἴ τι μοῖρα μὴ κιγχάνει.

Pius ille et expiatus Oedipus num sanctam quietam contentam ostendit mentem, cum queritur (vs. 395):

γέροντα δ' ὀρθοῦν φλαῦρον, ὃς νέος πέσῃ?

Sero a diis juvatur senex, quem iuvenem pessumdederint. Vocabula „*ὃς νέος πέσῃ*" Oedipum fortunam suam aegre ferre satis indicant.

Pius ille et expiatus Oedipus paene, nisi a Theseo admonitus esset, pietatis erga deos oblitus est: „Noli" rex inquit Atheniensis „Polynici deorum supplici colloquium recusare" (vs. 1179):

ἀλλ' εἰ τὸ θάκημ' ἐξαναγκάζει, σκόπει,
μή σοι πρόνοι' ᾖ τοῦ θεοῦ φυλακτέα.

Ipsa quoque filia leniter priorem iracundiam ei in mentem revocat, utque comiorem nunc se praebeat, eum adhortatur (vs. 1192):

ἀλλ' εἶξον· εἰσὶ χἀτέροις γοναὶ κακαὶ
καὶ θυμὸς ὀξύς, ἀλλὰ νουθετούμενοι
φίλων ἐπῳδαῖς ἐξεπᾴδονται φύσιν.

σὺ δ' εἰς ἐκεῖνα, μὴ τὰ νῦν, ἀποσκόπει,
πατρῷα καὶ μητρῷα πήμαϑ' ἅπαϑες·
κἂν κεῖνα λεύσσῃς, οἶδ' ἐγώ, γνώσῃ κακοῦ
ϑυμοῦ τελευτὴν ὡς κακὴ προσγίγνεται.

Quid vero senex respondet? Habetne quandam religionem? — Longe abest, sed iucundum ei non est et timet, ne quid sibi ipsi calamitatis accidat:

τέκνον, βαρεῖαν ἡδονὴν νικᾶτέ με
λέγοντες· ἔστω δ' οὖν, ὅπως ὑμῖν φίλον.
μόνον, ξέν', εἴπερ κεῖνος ὧδ' ἐλεύσεται,
μηδεὶς κρατείτω τῆς ἐμῆς ψυχῆς ποτε.

Sed redeo ad iracundiam. Num fortuito Creon eundem animi statum leviro exprobrat (vs. 855):

ὀργῇ χάριν δούς, ἥ σ' ἀεὶ λυμαίνεται?

Num sine causa Theseus supplicem monet (vs. 592):

ὦ μῶρε, ϑυμὸς δ' ἐν κακοῖς οὐ ξύμφερον?

Nonne in colloquiis, quae cum Creonte et Polynice habet, eundem agnoscimus Oedipum, qui in priore fabula ira incensus Tiresiam in malam rem abire iusserit? Hoc tantum interest, quod regi pro civium salute pugnanti facilius ignoscimus, quam exuli, qui suum tantummodo curat commodum.

Neque eum animi statum exulis ἐν παρέργῳ ἔϑετο poëta, quippe qui et Oedipum ipsum bis τοῦ ϑυμοῦ, quae antea miseriae exstiterit causa (vs. 438 et 768), mentionem facientem et Antigonam, Theseum, Creontem eum τοῦ ϑυμοῦ, qui nunc ei officiat, admonentes induxerit. Dubium igitur mihi non videtur quin erret Nauckius cum contendit: „Oedipus ist inzwischen in stiller Abgeschiedenheit gealtert und hat Zeit gehabt, sich mit seinem Lose auszusöhnen und die φρένες die Oberhand über den ϑυμός gewinnen zu lassen." (cf. pag. 10 „jedes Wort" etc.).

Immo vero ex locis allatis patet tantum abesse ut vitii expers fingatur Oedipus, ut consulto eum iracundum et vehementem nobis proposuerit poëta. Quae cum habeat vitia, et alia eum habere veri simile est; homo vitiis obnoxius non uno sed multis vexari solet, et quamvis a viro sancto, qui caelo dignus sit, talia aliena esse expectemus, tamen Oedipum non omnibus mentis pravitatibus vacare ex iis, quae supra dixi, liquet. In primis igitur videamus, utrum iustam ob causam tam iracunde et vehementer de Thebis loquatur

necne. Nam quamvis Nauckius contendat eum iure patriae succensere, quippe qui sine causa a civibus suis eiectus sit, mihi non tam certa res videtur. (Nauck pag. 15: „ohne Befehl Apollons,“ pag. 31: „sie wollen nicht ihr Unrecht sühnen“).

Initio fabulae audimus Oedipum esse vagum et exulem; ipse se vocat *πλανήτην* (vs. 3) et *ἀπόπτολιν* (vs. 208). Primam vero de eius reditu mentionem facit Ismena, quae oraculum Thebanis editum patri narratura advenit; statim autem filia, quam patris causam detrectare non suspicabimur, ab Oedipode rogata, sepulcrumne in terra patria Thebani ei sint concessuri, cum sene communicat caedem Laii id vetare (vs. 407):

ἀλλ' οὐκ ἐᾷ τοὔμφυλον αἷμα σ' ὦ πάτερ,

idque dicit eo in contextu, ut secundum Apollinis oraculum hoc pronuntiari credendum sit. Ipse quoque Oedipus caedem patris exilii causam dicit vs. 600:

ἔστιν δέ μοι
πάλιν κατελθεῖν μήποθ', ὡς πατροκτόνῳ.

Quae nisi iusta esset religio, hic adversus Theseum ab Oedipode esset refellenda, nam verba *ὡς πατροκτόνῳ* cum fictam tum veram causam indicare possunt. Praeterea cur Thebani, qui omnem salutem suam ab Oedipode pendere ex oraculo audiverant ideoque eum procul ab urbe esse nolebant, cur, quaeso, exulem in patriam reducere hi gravabantur? Aut stulta pertinacia impediebantur, aut res iis veniebat in religionem; tertium non datur. Utrum igitur obstitisse putemus? De pertinacia nusquam Oedipus verbum facit, religio vero facile intellegi potest, neque clarius eam in fabula indicari opus erat, quoniam reapse spectatores causam suspicabantur. Et quis causam commemorare potuisset? — Creon, qui in Thebarum fines Oedipum reducturus videri vellet, sapienter fecit, quod hac de re tacuit; statim enim falsa eius verba fuisse patuisset. Idem valet de Polynice, neque filiae rem salva pietate urguere poterant; quamquam in transitu certe ex Ismenae ore aliquid de ea re auditur, quod sufficiat spectatoribus (vs. 407).

In Graecia enim viris consceleratis sepulcrum in patria non fuisse concessum satis superque constat. De proditoribus et sacrilegis illud legibus esse sanctum Xenophon nos docet, qui hoc modo Euryptolemum anno 406 in Atheniensium ecclesia facit loquentem (Hell. lib. I cap. VII, § 22):

κατὰ τόνδε τὸν νόμον κρίνατε, ὅς ἐστιν ἐπὶ τοῖς ἱεροσύλοις καὶ προδόταις, ἐάν τις ἢ τὴν πόλιν προδιδῷ ἢ τὰ ἱερὰ κλέπτῃ, κριθέντα ἐν δικαστηρίῳ, ἂν καταγνωσθῇ, μὴ ταφῆναι ἐν τῇ Ἀττικῇ, τὰ δὲ χρήματα αὐτοῦ δημόσἰ εἶναι.

Qua eadem lege instigante cineres Phrynichi, quem anno 411 partes populares perfringere et labefactare conatum interemerant Thrasybulus et Apollodorus, effodi atque ex Attica removeri Athenienses anno 409 iusserunt. Cui viro quid acciderit quidque post mortem constitutum sit, legimus C. I. A. I, 59 (= Dittenb. 43), Lys. VII, § 4, XIII, § 70—73, Thuc. VIII, 92, § 2, Plut. Alc. 25, Schol. Arist. Lysistr. 313, et Lycurg. § 112, sqq.:

καὶ ψηφίζεται ὁ δῆμος Κριτίου εἴποντος τὸν μὲν νεκρὸν κρίνειν προδοσίας, κἂν δόξῃ προδότης ὢν ἐν τῇ χώρᾳ τεθάφθαι, τά τε ὀστᾶ αὐτοῦ ἀνορύξαι καὶ ἐξορίσαι ἔξω τῆς Ἀττικῆς, ὅπως ἂν μὴ κέηται ἐν τῇ χώρᾳ μηδὲ τὰ ὀστᾶ τοῦ τὴν χώραν καὶ τὴν πόλιν προδιδόντος.

Neque alibi de ea lege auctores tacent; Thucydides enim in Lib. I, cap. 138, § 6, nobis tradit Themistoclem propinquos oravisse, ut ossa sua in patriam reducerent idque clam Atheniensibus, *οὐ γὰρ ἐξῆν θάπτειν ὡς ἐπὶ προδοσίᾳ φεύγοντος.* Etiam de ipso parricidio hanc poenam proponit Plato in libro Legum IX, cap. 2 (pag. 854 *E*):

πολίτης δὲ ἄν τις ποτέ τι τοιοῦτον δρῶν ἀναφανῇ, περὶ θεοὺς ἢ περὶ γονέας ἢ περὶ πόλιν ἠδικηκὼς τῶν μεγάλων τινὰ καὶ ἀπορρήτων ἀδικιῶν, ὡς ἀνίατον ἤδη τοῦτον ὄντα ὁ δικαστὴς διανοείσθω, λογιζόμενος οἵας παιδείας τε καὶ τροφῆς ἐκ παιδὸς τυγχάνων οὐκ ἀπέσχετο τῶν μεγίστων κακῶν· δίκη δὴ τούτῳ θάνατος ἐλάχιστον τῶν κακῶν, τοὺς δὲ ἄλλους παράδειγμα ὀνήσει γενόμενος ἀκλεὴς καὶ ὑπὲρ τοὺς τῆς χώρας ὅρους ἀφανισθείς.

Eorum quoque, qui Cylonis assectatores nefarie impieque occiderant, cineres terram patriae polluere putabantur; quod nobis Plutarchus in vita Solonis tradit. Clarus ille legislator, ut iudicium de Cylonis sociorum caede haberetur, auctor fuit; quod cum decretum esset, damnati sunt, qui a Megacle stabant civiumque sanguine maculati erant; qui vivi supererant, in exilium missi sunt *τῶν δ' ἀποθανόντων τοὺς νεκροὺς ἀνορύξαντες ἐξέρριψαν ὑπὲρ τοὺς ὅρους.*

Neque iis, qui inviti hominem interemissent, semper et ubique certum post intervallum vel multa quadam soluta reditus in patriam

permittebatur; Homeri tempore φόνος ἀκούσιος aeque puniebatur ac φόνος ἑκούσιος et eundem morem postea saeculo quinto Spartae invenimus. Patroclus, qui puer amicum invitus necaverat, ad Pelei urbem profugit neque postea in patriam revertit (Iliad. XXIII 83 sqq.); et Xenophon (Anab. IV 8, 25) idem refert de Spartiata Dracontio, ὃς ἔφυγεν ἔτι παῖς ὢν οἴκοθεν, παῖδα ἀκὼν κατακτανὼν ξυήλῃ πατάξας.

Et de ipso Oedipode fabula quaedam antiquitus obtinuit (Schol. ad Oed. Col. 91): Thebanos Oedipodis cinerem ὡς ὄντος ἀσεβοῦς in terra patria sepeliri vetuisse, dein cum Cei (in oppido ignoto) sepultus esset, huius oppidi incolas regis exulis reliquias Ceo calamitati fore ratos, propinquos Oedipodis ossa effodere et alio deferre jussisse; a quibus cum fortuito in Cereris templo humata essent, secundum Apollinis oraculum ibi mansisse et quietem invenisse. Valde consimilis illa fama videtur ei, quam Sophocles secutus est. Ceres enim cum Furiis cognata est, — et illa et hae deae inferae sunt — ut cum aliunde tum ex Pausania (VIII 25, 4) discere possumus, qui Cererem Thelpusae in Arcadia Ἐρινὺν appellari tradit causa cognominis addita [1]). In utraque praeterea fabula Oedipodis corpus diis inferis sacrum esse, in terra profana sepultum incolis incommodo fore, sepulcrum ideo ei ab oppidanis negari accipimus: sacrum corpus in sacro solo humandum est. His tantum in rebus duae illae narrationes inter se differunt, quod Apollo in altera ante in altera post mortem Oedipodis oraculum edidisse fertur et quod secundum alteram in Boeotia secundum alteram in Attica herois reliquiae quiescunt. Sed utut ea res se habet, etiam secundum illam famam Thebarum et Cei incolae ex Oedipodis ossibus periculum metuisse traduntur.

Nonne eodem modo apud Sophoclem cives ex Oedipodis cineribus patriae labem metuere finguntur? Nonne eandem ob causam regem caecum e patria expulerunt? — Nonne idcirco iam antea, cum pestis Thebas vexaret, Apollo oraculum edidit? Tum obscurum civibus esse non potuit parricidam, si in patria versaretur, multarum civibus fore calamitatum auctorem; manifeste Apollo imperavit, ne μίασμα χώρας diutius Thebis maneret, Thebanosque docuit propter illum virum urbi omnia mala accidere: „ὡς τόδ' αἷμα χειμάζον πόλιν." Num

---

1) cf. K. O. Müller, Aesch. Eum., 165 sqq. K. F. Hermann, Quaest. Oedip., 71 sqq.

credibile videtur, quod tum fas fuisset, id iam non magni esse faciendum, immo prorsus posse contemni, licet nulla a poëta indicetur causa, quae deorum hominumque opiniones tantopere mutasset? Non ita; prius illud Apollinis oraculum priore in fabula cum Oedipodis sorte et exilio ita erat coniunctum, ut hac in tragoedia neque poëtae id neglegere licuerit, neque spectatores plane eius iam oblivisci potuerint. Iam vero cur Oedipus neque adversus Theseum neque adversus Creontem contendit religionem cum antea non fuisse causam, quominus expelleretur, tum id temporis non obstare, ne redeat? Cur consulto et vs. 440 sqq. silet et vs. 770 sqq. tacet et vs. 1357 sqq. praeterit, quem ad finem, quo tandem consilio e patria sit expulsus? —

Quibus rebus consideratis perpensisque concludendum videtur secundum ius et fas miserum regem esse expulsum itaque neque Creontem neque Polynicem neque cives exilii auctores habendos esse, sed tantummodo deorum immortalium numen atque voluntatem.

At enim sero expulsus est; id saltem, quid obiiciat nescius, Creonti exprobrat. Quod tamen crimen neque longa nititur argumentatione neque adversus filium affertur. Ut vero contra Creontem de tempore, ita contra Polynicem de ipso exilio Oedipus queritur; atqui hoc dii imperaverant, illa non iusta irae causa erat. Concludamus igitur necesse est, Oedipum diuturno exilio efferatum [1]) sine iusta causa patriae et civibus succensere et iracundia odioque permotum iurgia inania cum adversus Creontem tum adversus filium proferre.

---

[1]) Cf. Erwin Rohde. Psyche, Seelencult und Unsterblichkeitsglaube der Griechen. 1894 pag. 536: „Oedipus ist verwildert ganz wie Philoctet in seinem Elend"

DE IURE TALIONIS ET AMORE PATRIAE.

Quae supra dixi alia quoque ratione affirmare posse mihi videor. Fac enim Oedipodis exilium secundum Sophoclem patriae saluti non fuisse necessarium, fac cives se ingratos praestitisse, fac Apollinem aut Thebanis permisisse, ut hac de re decernerent, aut prius oraculum posteriore omnino sustulisse, num propterea Oedipodi patriae, civium, filiorum odium laudi esse tribuendum putamus? —

Equidem aliam esse nostram, aliam Graecorum de ulciscendi vindicandique iure fuisse opinionem libenter concedo; Sophoclem de paria paribus referendo idem quod maiores atque aequales eius iudicasse non nego; ius talionis, quod dicitur, quamvis e legibus sublatum esset, in cotidiano usu et consuetudine atque in privata hominum vita etiam tum floruisse et viguisse facile assentior. Nondum praeclara illa verba edita erant:

„'Ηκούσατε ὅτι ἐῤῥέθη, Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου, καὶ μισήσεις τὸν ἐχθρόν σου. 'Εγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, Ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν, εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς, καλῶς ποιεῖτε τοὺς μισοῦντας ὑμᾶς, καὶ προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς καὶ διωκόντων ὑμᾶς." (Matt. V. 44), et licet nos miremur, quod neque poëtae egregii Aeschylus et Sophocles neque sapiens praestantissimus Socrates, simulac de hominum officiis meditari coeperunt, simplex hocce praeceptum reppererint celebraverintve vel saltem aliqua ex parte ad hoc decretum accesserint, omnino probanda est Lessingii sententia (Laokoön IV):

„Die moralische Grösse bestand bei den alten Griechen in einer ebenso unveränderlichen Liebe gegen seine Freunde als unwandelbarem Hasse gegen seine Feinde."

Attamen quamvis Graeci hac in re tantopere a nobis discrepuerint,

quamvis laudaverint, quod nos vituperemus, propterea etiam Oedipodis erga filios agendi rationem a Sophocle probatam esse equidem credere non possum. Ne tamen temere agere videar, in primis decretum vel dogma illud nonnullis poëtarum Graecorum sententiis illustrabo et Sophoclis commemorabo locos ad rem facientes praecipue; tum facilius meliusque statuere posse mihi videor, quantum haec valeant ad Oedipum.

Homerus quin par pari referendum esse docuerit, non multos dubitare arbitror; attamen, ne omnino illum praetermittam, haec in memoriam mihi revocare liceat. In Iliadis libro sexto cum Adrastus de curru devolutus Menelaum supplex precatur, ut sibi parcat, Agamemnon fratrem his verbis corripit:

ὦ πέπον, ὦ Μενέλαε, τίη δὲ σὺ κήδεαι οὕτως
ἀνδρῶν; ἦ σοὶ ἄριστα πεποίηται κατὰ ϝοῖκον
πρὸς Τρώων· τῶν μή τις ὑπεκφύγοι αἰπὺν ὄλεθρον
χεῖράς θ' ὑμετέρας, μηδ' ὅν τινα γαστέρι μήτηρ
κοῦρον ἐόντα φέρει, μηδ' ὃς φύγοι, ἀλλ' ἅμα πάντες
Ϝιλίου ἐξαπολοίατ' ἀκήδεστοι καὶ ἄφαντοι.

Quibus poëta hoc, quod notetur, dignissimum addit iudicium:

ὡς ϝειπὼν παρέπεισεν ἀδελφεόο φρένας ἥρως,
αἴσιμα παρϝειπών.

Sed iam in primo Iliadis libro atque in ipso carminis titulo *Μῆνις Ἀχιλλέως* satis habemus argumenti. Achilles, cui non favere poëtam nemo est, qui contendat, iniuriam perpessus non prius succensere desistit et in proelium redit, quam iram Briseidis abductae vincat luctus interfecti Patrocli; quod ulciscendi studium nostro saeculo in viro nobili omnino vituperaretur, Homeri vero aetate quodammodo aequum et iustum videbatur. Idem autem Achilles postquam cum Troianis manus conseruit, se, ut Patrocli necem ulciscatur, neminem vivum dimissurum esse profitetur (Il. XXI, vs. 103).

De Homeri tamen carminibus, cum hi mores antiquis temporibus admirationem dubiumve non moverint, longus esse nolo sed potius ad recentiores me conferam.

Hesiodus, quid cuipiam iniuriam perpesso faciendum sit, his versibus docet (Oper. 707 sqq.):

μηδὲ κασιγνήτῳ ἶσον ποιεῖσθαι ἑταῖρον·
εἰ δέ κε ποιήσῃς, μή μιν πρότερος κακὸν ἔρξῃς.
μηδὲ ψεύδεσθαι γλώσσης χάριν· εἰ δέ σ' ὅ γ' ἄρχει

ἤ τι ἔπος εἰπὼν ἀποθύμιον ἠὲ καὶ ἔρξας,
δὶς τόσα τίνυσθαι μεμνημένος· .....

Archilochus, Solon, Theognis, Pindarus in his versibus sententiam suam satis clare pronuntiant:

Archil. fragm. 65:

ἓν δ' ἐπίσταμαι μέγα
τὸν κακῶς τι δρῶντα δεινοῖς ἀνταμείβεσθαι κακοῖς.

Solon fragm. 13, 5:

εἶναι δὲ γλυκὺν ὧδε (?) φίλοις, ἐχθροῖσι δὲ πικρόν·
τοῖσι μὲν αἰδοῖον, τοῖσι δὲ δεινὸν ἰδεῖν.

Theogn. 869:

ἔν μοι ἔπειτα πέσοι μέγας οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν
χάλκεος, ἀνθρώπων δεῖμα χαμαιγενέων,
εἰ μὴ ἐγὼ τοῖσιν μὲν ἐπαρκέσω, οἵ με φιλεῦσιν,
τοῖς δ' ἐχθροῖς ἀνίη καὶ μέγα πῆμ' ἔσομαι.

Pind. Nem. IV 32:

ἀπειρομάχας ἐών κε φανείη
λόγον ὁ μὴ συνιείς· ἐπεὶ
ῥεζοντά τι καὶ παθεῖν ἔοικεν.

Pind. Pyth. II, 51:

φίλον εἴη
φιλεῖν· ποτὶ δ' ἐχθρὸν ἅτ'
ἐχθρὸς ἐών, λύκοιο δίκαν ὑποθεύσομαι,
ἀλλ' ἄλλοτε πατέων ὁδοῖς σκολιαῖς.

Nec apud **Aeschylum** desunt loci ubi idem audiamus: in fabula Agamemnone (vs. 1430) iratus chorus Clytaemnestrae minatur:

ἀτίετον ἔτι σὲ χρὴ στερομέναν φίλων
τύμμα τύμματι τῖσαι.

in Choephoris Parcas invocans chorus, ut colatur iustitia, hoc orat modo (vs. 308):

ἀντὶ μὲν ἐχθρᾶς γλώσσης ἐχθρὰ
γλῶσσα τελείσθω· τοὐφειλόμενον
πράσσουσα Δίκη μέγ' ἀϋτεῖ.
ἀντὶ δὲ πληγῆς φονίας φονίαν
πληγὴν τινέτω, δράσαντι παθεῖν
τριγέρων μῦθος τάδε φωνεῖ.

quod aliis verbis expressum paullo post chorum canentem audimus:

ἀλλὰ νόμος μὲν φονίας σταγόνας

χυμένας ἐς πέδον ἄλλο προσαιτεῖν
αἷμα.

Sed multo clariora sunt, quae vs. 120 sqq. leguntur. Electrae, dubitanti num Agamemnonis occisoribus mortem imprecari pium sit, et

καὶ ταῦτά μοι 'στιν εὐσεβῆ θεῶν πάρα;

roganti chorus respondet:

πῶς δ' οὔ, τὸν ἐχθρὸν ἀνταμείβεσθαι κακοῖς;

quo dicto omne dubium ex Electrae animo tollitur. Haud alia sunt, quae in Prometheo legimus (vs. 977 sqq.):

Ε Ρ. *κλύω σ' ἐγὼ μεμηνότ' οὐ σμικρὰν νόσον.*
Π Ρ. *νοσοῖμ' ἄν, εἰ νόσημα τοὺς ἐχθροὺς στυγεῖν.*

et vs. 1041:

πάσχειν δὲ κακῶς
ἐχθρὸν ὑπ' ἐχθρῶν οὐδὲν ἀεικές.

cf. praeterea Agam. 381, 1563, Suppl. 436, Fragm. 282. Item apud **Euripidem** inimicum odisse non minus quam amicum iuvare viri esse officium dicitur; quod apertissime pronunciatum videmus in fragm. 1077:

ἐχθροὺς κακῶς δρᾶν ἀνδρὸς ἡγοῦμαι μέρος.

cf. Orest. 413, Ion. 1046, Herc. 585, 731—33, Medea 809, Bacch. 877—881, Heracl. 938—40.

Ex **Herodoti** libris non multos locos afferam, quibus scriptoris sententiam indicem; unus sufficit, qui ita clarus est, ut omne dubium tollatur (lib. VIII, cap. 105, 106).

Herodotus hanc nobis tradit historiam. Paeonius, manceps Chius pueros pulchros, quibus potiri poterat, eunuchos faciebat et magna pecunia Sardibus vendebat. Inter alios Hermotimus quidam ea ratione eunuchus et servus factus Sardibus Susam ad aulam pervenit et regis Persarum gratiam obtinuit. Qui cum magnam adeptus esset potentiam, Paeonium punire constituit eique persuasit, ut cum uxore, liberis, bonis vasisque ad se veniret. Tum scelere obiecto patrem coegit liberos castrare, filios patrem ipsum excidere. Ipse autem Hermotimus deos *νόμῳ δικαίῳ χρεωμένους* inimicum ad se perduxisse retur et Herodotus narrationem his verbis concludit: *Παιώνιον μέν νυν οὕτω περιῆλθε ἥ τε τίσις καὶ Ἑρμότιμος.* — „*ἥ τε τίσις*" sine dubio idem significat ac divina iustitia (cf. Stein ad locum) neque in tota narratione unquam Herodotum hanc agendi rationem improbare apparet, immo vero poenam iustam et meritam

ei videri et sine ulla dubitatione antiquum illud eum laudare patet: Qui irrogaverit maculam cuilibet civium suorum: sicut fecit, sic fiet ei: fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet; qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur (Levitic. 24, 19, 20.)

Quantopere ea opinio ubique probata fuerit, a **Platone** quoque audire possumus, qui a sacerdotibus antiquis sanctum esse tradit Leg. pag. 872 *E*: *τοῦ κοινοῦ μιανθέντος αἵματος οὐκ εἶναι κάθαρσιν ἄλλην οὐδὲ ἔκπλυτον ἐθέλειν γίγεσθαι τὸ μιανθέν, πρὶν φόνον φόνῳ ὁμοίῳ ἡ δράσασα ψυχὴ τίσῃ καὶ πάσης τῆς ξυγγενείας τὸν θυμὸν ἀφιλασαμένη κοιμίσῃ.*

Socratesne a communi stabat opinione an inimicorum odium improbavit? — Hoc Plato, illud Xenophon disertis verbis asseverat neque utrum verum sit, facile est statuere. Xenophon in Mem. (II, 6, 35) Socratem Critobulo dicere facit: *ἔγνωκας ἀνδρὸς ἀρετὴν εἶναι νικᾶν τοὺς μὲν φίλους εὖ ποιοῦντα, τοὺς δ' ἐχθροὺς κακῶς* (cf. Mem III 9, 8.), sed apud Platonem in Critone (49 A) hoc Socratis cum amico colloquium legimus:

ΣΩΚ. Οὐδαμῶς ἄρα δεῖ ἀδικεῖν.

ΚR. Οὐ δῆτα.

ΣΩΚ. Οὐδὲ ἀδικούμενον ἄρα ἀνταδικεῖν, ὡς οἱ πολλοὶ οἴονται, ἐπειδή γ' οὐδαμῶς δεῖ ἀδικεῖν.

cf. Plat. Menon. pag 71. *E*, Republ. pag. 334 *B*, 332 *B*, a quibus non est alienum quod Socratis vel Platonis novam sententiam omnino cum omnium opinione certantem [1]) hanc esse audimus: Gorg. pag. 469 C. *εἰ δ' ἀναγκαῖον εἴη ἀδικεῖν ἢ ἀδικεῖσθαι, ἑλοίμην ἂν μᾶλλον ἀδικεῖσθαι ἢ ἀδικεῖν.* (cf. tamen Phil. 49 D.)

Neutrius verba ambigua sunt atque sine dubio Plato et Xenophon sibi obloquuntur, sed utri credendum sit, quae Socratis fuerit sententia, nondum pro certo constat; philosophi certant et adhuc sub iudice lis est; attamen ex locis allatis hoc nobis patet: neque **Xenophontem** neque Athenienses tempore belli Peloponnesiaci viventes antiquum ius talionis reiecisse, Socratem autem non semper et ubique aequalium de hac re opinionem vituperasse.

---

[1]) Neque maiores neque aequales eam sententiam probasse èt patet ex iis, quae pag. 481, 482 dicuntur èt ex iis, quae apud Isocratem XII 118 leguntur, quem verbis „*ὀλίγοι τινές*" Platonem respicere valde est veri simile. (cf. Grote „Plato and the other companions of Socrates" ad dialogum).

Quod postremum dixi idcirco certum mihi videtur, quia Socrates, si inde ab initio communem opinionem reiecisset, sine dubio saepe de hac re disputasset neque Xenophon, quod magistri esse iudicium omnes cives cognossent, magistro abiudicare potuisset. Nam inimicorum odium quinto saeculo vulgo pro bono habitum et laudatum esse cum ex Critonis dialogi loco patet: *ὡς οἱ πολλοὶ οἴονται* (cf. pag. 49 D.), tum ex Rep. 332 *B*, ubi Polemarchus a Socrate interrogatus secundum Simonidem et se ipsum *δικαιοσύνην* esse contendit: *τὸ τοὺς φίλους εὖ ποιεῖν καὶ τοὺς ἐχθροὺς κακῶς*, et ex Men. 71 *E*, ubi Menon Socrati quid sit virtus percontanti sine ulla molestia se respondere posse his verbis contendit: *ῥᾴδιον, ὅτι αὕτη ἐστὶν ἀνδρὸς ἀρετὴ ...... καὶ τοὺς μὲν φίλους εὖ ποιεῖν, τοὺς δὲ ἐχθροὺς κακῶς.*

Priusquam ad Sophoclem redeam de **oratoribus** nonnihil addere mihi liceat. In iudiciis accusatores, ne calumniari viderentur, reorum se inimicos esse asseverare solebant, cf. Lys. XII 2: *τοὐναντίον δέ μοι δοκοῦμεν πείσεσθαι ἢ ἐν τῷ πρὸ τοῦ χρόνῳ. πρότερον μὲν γὰρ ἔδει τὴν ἔχθραν τοὺς κατηγόρους ἐπιδεῖξαι, ἥτις εἴη πρὸς τοὺς φεύγοντας· νυνὶ δὲ κτέ.* cf. XIII 1. XIV 1, 2. XV 12. XXIII 2. Contra si accusator nullam a reo iniuriam perpessus est, cur nihilominus rem deferat, iudices edocet et iustam tamen sibi esse accusationis causam contendere conatur, cf. XXXI 2. Qui mos, quamquam e calumnia et e calumniatorum audacia profectus est, neque unquam invaluisset, si optimo cuique tale ultionis studium fuisset pudori, neque tam diu viguisset, nisi inimicos ulcisci et iniuriam vindicare secundum communem opinionem fuisset viri officium. (cf. Lys. IX 14, 20, XI 7).

Indidem explicari potest quod morituri, antequam supremum efflent spiritum, inimicis omnes calamitates imprecari solent; indidem repetenda est causa cur dei moribundorum diras soleant exaudire; cf. Aesch. Ag. 1600, Soph. oraculum Apollinis ante fabulam Oedipum, Ajac. 835, Plut. Mor. pag. 303.

Eandem ob causam Athenis, si quis e familia vi dolove trucidatus esset, cognatis officium erat et religio sicarium accusare mortuique honorem vivi saluti anteponere. Ut antea propinquos „animam pro anima exigere" (Deuteronomium XIX 21) oportebat, ita nunc homicidam accusare iis ius et fas erat.

Leges vero, qualis fuit illa Romana: „si membrum rupit, ni cum eo pacto, talio esto" (Gell. XX 1, 14. Prisc. VI 13), apud Graecos diu viguerunt. Solonis lex quaedam apud Diog. Laert. I. 57 traditur,

qua sanctum erat: *ἐὰν ἕνα ὀφθαλμὸν ἔχοντος ἐκκόψῃ τις, ἀντεκκόπτειν τοὺς δύο*, et eandem sanctionem legibus Charondae et Zaleuci, qui Solonis fere aequales fuerunt, postea additam esse Demosthenes (advers. Timocr. 139 pag. 744) et Diog. Laert. (I. 57) referunt. Quae qui constituerunt, eos apparet ex animi sententia fecisse cum eo, qui praescripsit: „Reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore." (Exod. XXI 23).

Sophoclis autem quae hac de re fuerit sententia, satis clare ex eius fabulis cognoscimus. Qui si ius talionis prorsus reiecisset, potuissetne Philoctetem odio flagrantem et ultionis appetentem (vid. in primis vs. 794 et 1113) ita depingere et in scenam inducere, ut heros misericordiam et eum sensum, quem *συμπάθειαν* Graeci appellant, cum apud spectatores antiquos tum apud lectores hodiernos moveret? — Herculine ultionis studium et uxoris odium, antequam Deianiram insontem esse comperuit, in Trachiniis (vid. vs. 1038, 1108, cf. Hyllum 819) tribuisset? — Orestemne matrem deorum superorum iussu occidere fecisset in Electra? — Accedit quod nonnulli versus ne sinunt quidem nos dubitare quae poëtae fuerit opinio:

O. C. vs. 228 chorus, qui fide rupta Oedipum e regione expellere cupit, canit:

οὐδενὶ μοιριδία τίσις ἔρχεται
ὧν προπάθῃ τὸ τίνειν.

Nemo poena fatali afficitur, qui par pari rettulerit.

O. C. vs. 271 Oedipus suam Laii caedem hoc modo defendit:

ἐγὼ
ὅστις παθὼν μὲν ἀντέδρων, ὥστ' εἰ φρονῶν
ἔπρασσον, οὐδ' ἂν ὧδ' ἐγιγνόμην κακός.

Cf 994 sqq. Haud aliter in priore fabula Oedipus rex iure se Creontem esse perditurum contendit, quippe cui nocere levir studeat, vs. 642:

ξύμφημι· δρῶντα γάρ νιν, ὦ γύναι, κακῶς
εἴληφα τοὐμὸν σῶμα σὺν τέχνῃ κακῇ.

Cf vs. 551. Etiam clarius idem discimus ex Aiacis ironia Ai. vs. 677:

ἐπίσταμαι γὰρ ἀρτίως. μαθὼν ὅτι
ὅ τ' ἐχθρὸς ἡμῖν ἐς τοσόνδ' ἐχθαρτέος
ὡς καὶ φιλήσων αὖθις.

Quae Ajax non ita dixisset, nisi et ipsius et communis opinio plane illi contraria fuisset [1].

Cf. praeterea Ai. 1132, ubi *πολεμίους* sensu vocabuli *ἐχθρούς* adhibitum est et Philoct. 648 sqq. Etiam inter fragmenta duo sunt, quae ad rem faciunt:

fragm. 11. *εἰ δείν' ἔδρασας, δεινὰ καὶ παθεῖν σε δεῖ.*

fragm. 216. *τὸν δρῶντα γάρ τι καὶ παθεῖν ὀφείλεται.*

Itaque cum Sophoclem antiquam retinuisse opinionem necdum idem, quod Platonem sensisse, qui *οὐδαμῶς δεῖν ἀδικεῖν* doceret, pro certo statuere possimus, putamusne Oedipodis erga suos patriamque suam odium non obstare, quominus senem sanctum piumque sibi fecerit poëta? — Patriam civesque odisse licitumne poëtae visum sit necne, si rogamus, tres sunt res, quarum in primis ratio est habenda.

1) Filii non auctores exilii exstiterunt, sed quoquo modo pater Thebis expulsus est, haec solum eorum erat culpa, quod non obstiterunt quominus in exilium mitteretur, neque patrem exulem cibo domiciliove adiuverunt. Sane ingratos se praestiterunt cum patrem, cuius *γηροβοσκοί* esse debuissent, plane neglexere; sed nihil eiusmodi admisisse eos poëta tradit, quod aut heroum aut Sophoclis ipsius tempore secundum ius vel fas quam acerrime puniendum esset. Non sanguis effusus sed officium neglectum est, non facinus horrendum admissum sed beneficium debitum intermissum est.

2) Patria eum expulerat; patriane ideo recte ei odio erat? — Omnes satis superque scimus quanti patriam Graeci fecerint; patria iis civitatem et libertatem praestabat, quae neque alibi facile obtinerentur et maximi essent momenti: in patriae solo ossa iacebant maiorum, neque pius Graecus patrum manes unquam neglegebat neque usquam melius quam ad ipsum eorum sepulcrum colere

---

[1]) Idem Antig. 927 legeretur, si vir doctissimus Vauvilliers, qui *πλείω* in *μείω* mutavit, rectum vidisset; ubi tamen lectionem traditam optime se habere, immo id, quod in codicibus exstat, magis quam id, quod Vauvilliers proposuit, cum Antigonae moribus [illegible] censeo.

poterat; in patria suos habebant deos, quorum potestas regionis finibus continebatur, quosque suis in templis coli necesse erat; pro patria, „pro aris et focis" per totam fere vitam pugnabant, patria victrice summo gaudio fruebantur, patria victa in maximo plerumque luctu miserrimaque versabantur condicione. Optime igitur intellegitur quod iuveni Atheniensi rem publicam capessenti iurandum fuit: *ἀμυνῶ δὲ καὶ ὑπὲρ ἱερῶν καὶ ὁσίων καὶ μόνος καὶ μετὰ πολλῶν καὶ τὴν πατρίδα οὐκ ἐλάττω παραδώσω.*

Identidem apud scriptores Graecos, quod Cicero consulibus praecipit (de legibus III, § 8) „salus patriae suprema lex esto" recurrit, modo his modo illis verbis expressum. Nonne Graecorum quemvis Homericum illud dictum probasse putemus:

εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης?

Legite verba, quibus Amphiaraus, vates et deorum interpres, Polynicem, socium suum et ducem, quem fatali necessitate coactus sequitur, allocutus esse dicitur (Aeschyl. Sept. 576):

Ἦ τοῖον ἔργον καὶ θεοῖσι προσφιλὲς
καλόν τ' ἀκοῦσαι καὶ λέγειν μεθυστέροις
πόλιν πατρῴαν καὶ θεοὺς τοὺς ἐγγενεῖς
πορθεῖν, στράτευμ' ἐπακτὸν ἐμβεβληκότα;
μητρός τε πηγὴν τίς κατασβέσει δίκη;
πατρίς τε γαῖα σῆς ὑπὸ σπουδῆς δορὶ
ἁλοῦσα πῶς σοι ξύμμαχος γενήσεται;

vel quod praeco de Polynice mortuo pronunciat:

ἄγος δὲ καὶ θανὼν κεκτήσεται
θεῶν πατρῴων, οὓς ἀτιμάσας ὅδε
στράτευμ' ἐπακτὸν ἐμβαλὼν ᾕρει πόλιν.

cf. Soph. Ant. 199.

Sed etiam magis ab hodiernis opinionibus alienum est id, quod apud Aristotelem legimus in Pol. V, 1, 130: *οὐ χρὴ νομίζειν αὐτὸν αὑτοῦ τινα εἶναι τῶν πολιτῶν, ἀλλὰ πάντας τῆς πόλεως· μόριον γὰρ ἕκαστος τῆς πόλεως.* Quae sententia apte lege quadam Solonis illustratur, quam Aristoteles in libro de Republica Athen. cap. 8 commemorat: *ὁρῶν δὲ τὴν μὲν πόλιν πολλάκις στασιάζουσαν, τῶν δὲ πολιτῶν ἐνίους διὰ τὴν ῥᾳθυμίαν περιμένοντας τὸ αὐτόματον, νόμον ἔθηκε πρὸς αὐτοὺς ἴδιον, ὃς ἂν στασιαζούσης τῆς πόλεως μὴ θῆται τὰ ὅπλα μηδὲ μεθ' ἑτέρων, ἄτιμον εἶναι καὶ τῆς πόλεως μὴ μετέχειν.* cf. Gell. Noct. Att. II, 12. Plut. in vita Sol. 20.

Non rogo ratane semper fuerit ea lex, nam eo quod perlata est, iam satis Atheniensium a nostra diversam sententiam demonstrari puto. Quam diverse de civium erga rem publicam officiis iudicaverint, mos quoque a Polluce nobis traditus probare potest, secundum quem ἦσαν καὶ ἀγαμίου δίκαι πολλαχοῦ (III 48). Civi igitur in uxore ducenda salus publica — neque amor neque indulgentia — suprema lex esto.

Quid Socrates, iniuria se a patria damnatum esse ratus? — Insontem se ipsum iudicabat, e carcere fugere poterat, sed noluit legibus non obtemperare: vitae amorem vicit amor patriae (Crito cap. XI et XII). Quid Spartani cum in pugna Leuctrica Spartam victam esse, multos milites cecidisse, nonnullos superstites esse audivissent? — Mortuorum parentes laetabantur, vivorum lugebant: parentum amorem vicit amor patriae. (Plut. in vita Ages. 29).

Aeque mirum nobis videtur si Lysias magnum ducit crimen, quod Philo anno 403 non omnem pecuniam in patria liberanda consumpserit 31, § 7: ἐγὼ τοίνυν ἀποφανῶ Φίλωνα τουτονὶ περὶ πλείονος ποιησάμενον τὴν ἰδίαν ἀσφάλειαν ἢ τὸν κοινὸν τῆς πόλεως κίνδυνον καὶ ἡγησάμενον κρεῖττον εἶναι αὐτὸν ἀκινδύνως τὸν βίον διάγειν ἢ τὴν πόλιν σώζειν ὁμοίως τοῖς ἄλλοις πολίταις κινδυνεύοντα.

Aristides vero cum nullo admisso scelere in exilium missus esset, quod nimis bene de patria esset meritus, odiumne in ingratam illam civitatem concepit? — Immo vir ille, quem Herodotus Graeciae optimum et iustissimum fuisse iudicavit, ubi patriam contra Persas adiuvare potest, cum Themistocle certamen inire se velle dicit ὁκότερος ἡμέων πλέω ἀγαθὰ τὴν πατρίδα ἐργάσεται (Her. VI, 79).

Itaque si quis a civibus iniuriam perpessus et e patria eiectus par pari referre studet, is in Graecia non potest haberi vir pius atque honestus, et quamquam excusari fortasse potest odium, laudari certe non potest. Quapropter etiam si exilium fuisset iniustum, quod nego, tamen Oedipus, qui patriam exsecratur, vir pius atque expiatus haberi non posset.

3) Verum etiam maioris momenti mihi videtur, quod Oedipus nostra in fabula semper odium et ultionis studium patefacit; vitae non iam est appetens, e vita migrare non moleste feret, sed unum adhuc optat et cupit: poenam filiorum et patriae. Ubique idem senem sentire, ubique eum ira adversus suos incitari videmus, et quamquam animi illam affectionem Graeci antiqui multo minus

quam nos vituperabant, non tamen, si omnibus aliis studiis remotis una reliqua esset, laudi cuiquam tribuendam esse censebant, Sophocles autem, qui hunc animi statum Oedipodi perpetuum tribuit et identidem ostendit, mitigatum et expiatum eum sibi fingere non potuit. Quod si voluisset poëta et aliis affectionibus herois pectus moveri fecisset neque hanc ut unice ei propriam ostendisset. Nam quamvis plerumque „oculus pro oculo" iure posci ei videretur, tamen nonnunquam magis inclinabat in lenius illud praeceptum, quod maleficiis ignosci iubet; eadem ratione, qua Xenophon, cuius non dubiam de iure talionis opinionem supra attuli, tamen Anab. V, 8, 26 dicit: *ἀλλὰ μὴν καλόν γε καὶ δίκαιον καὶ ὅσιον καὶ ἥδιον τῶν ἀγαθῶν μᾶλλον ἢ τῶν κακῶν μεμνῆσθαι*, eadem ratione qua Athenienses, qui fere semper „animam pro anima" exigere studebant, interdum ad pacem et quietem restituendam *τὸ μὴ μνησικακῆσαι* promulgarunt. Visne ex Sophoclis fabulis argumentum? — Revoca, sis, in mentem, quo modo de Aiace, quem Minerva obcaecavit, loquatur Ulyxes, postquam adversarium furentem aspexit; recordare, quomodo Teucro opituletur, ut fratrem debito humet honore; personam Ulyxis eam ipsam ob causam admiramur, quod peccat contra ius talionis. Recordare, nisi displicet, huius fabulae vs. 1189 sqq.:

ἔφυσας αὐτόν· ὥστε μηδὲ δρῶντά σε
τὰ τῶν κακίστων κἀσεβεστάτων, πάτερ,
θέμις σέ γ' εἶναι κεῖνον ἀντιδρᾶν κακῶς.

et Antigonae mores, quales nobis in fabulis Antigona et Oedipode Coloneo pinguntur. Non solum mentem ferocem et pervicacem Sophocles magni facit, neque hominibus, quos spectatoribus commendare vult, tantummodo odium et acerbitatem tribuit, sed mores plerumque mitigat sensu leniore admixto.

Philoctetes enim et Orestes, qui non homines caelo digni, sed viri mortales mortalibus vitiis obnoxii finguntur, quamquam multo plus causae ad succensendum habent quam Oedipus, saepius tamen alium animi statum produnt. Orestis in Electram amor, Philoctetis erga Neoptolemum simplicitas, amicitia, gratia multo magis, ut iis faveamus, efficiunt, multo frequentius a poëta commemorantur, quam nostra in fabula Oedipodis amor erga filias. Oedipum si cum illis compares, nequaquam eos ita superat, ut unus e multis caelo dignus videatur, sed e contrario Philocteti et Oresti cedat oportet.

Et quis contendat Philoctetem a poëta non diuturna solitudine et vita misera efferatum fingi?

Verum nulla est causa, cur similem de Oedipode habeamus opinionem. Prudens est et anxius: non est quod miremur; exilium longique errores iam diu id eum docere potuerunt neque magis heroi gloriae quam mendico commodo est. Gratum se praebet erga filias easque vehementer amat et pulcherrimis verbis in fabulae exitu, ubi eas valere iubet, pium patefacit amorem (1613—1618):

κοὐκέτι
τὴν δυσπόνητον ἕξετ' ἀμφ' ἐμοὶ τροφήν·
σκληρὰν μέν, οἶδα, παῖδες· ἀλλ' ἓν γὰρ μόνον
τὰ πάντα λύει ταῦτ' ἔπος μοχθήματα.
τὸ γὰρ φιλεῖν οὐκ ἔστιν ἐξ ὅτου πλέον
ἢ τοῦδε τἀνδρὸς ἔσχεθ'....

cf. 1632 sqq., 1099—1120, 324—334.

Sed haec virtus et indulgentia vitio illi et acerbitati non est par, bonam indolis partem cum mala non aequat poëta, verum animum trucem, ut persona fiat tragica, indulgentia liberorum admixta mitigat; ne multis morer: in persona Oedipodis amor et indulgentia non primas sed secundas agunt partes.

Praeterea si pater filias, quae eum semper coluere et curavere, quibus semper ad vitae necessitates eguit, magni facit et amat, eo non animum magnum et excelsum, sed cotidianam et ordinariam patefacit virtutem, quam laudamus, sed non admiramur.

Numquid aliud? — Equidem non video, quam aliam senex habeat virtutem, quae admirationem movere possit, neque intellego, quas alii in eo virtutes animadvertant. Unde efficiendum mihi videtur non exemplum virtutis nostra in tragoedia poni, sed virum mortalem humana in vitia delapsum.

DE DEIS SOPHOCLEIS.

Nondum causas protuli gravissimas cur sententiam Nauckii et aliorum virorum doctorum falsam reiiciam. Quarum prior haec est. Si poëta virum proponere nobis voluisset, qui magna perpetrasset maleficia, sed rebus adversis, dolore et exilio, ad paenitentiam redactus, animum mutasset, et expiatis sceleribus deorum gratia dignus factus esset, gravius in persona Oedipodis hunc ad finem eligenda erravisset, gravius, aio, quam ut eum errorem Sophocli imputaremus. Opus enim fuisset viro, qui magnis virtutibus vitiisque insignis esset, animi autem pravitate vel perturbatione vel gloriae cupiditate vel quolibet alio vitio culpae aliquid in se admisisset, sed iustis poenis solutis, dolore et maestitia purior atque honestior factus esset. Verum ab Oedipode talia prorsus sunt aliena. *Ἥμαρτε χρηστὰ μώμενος* atque omnino vera sunt, quae in Scholiis legimus ad vs. 969: *τῷ γὰρ ὄντι ὁ Οἰδίπους εἴ τις ἀκριβῶς ἐξετάζοι ἄδικος μέν οὐκ ἔστιν ἀτυχὴς δὲ καὶ περιπαθής* [1]).

Nullo unquam verbo dicit se facinorum a se commissorum poenitere; nullius eum rei poenitet nisi vehementiae et iracundiae, nisi oculorum obcaecatorum, neque parricidii eum incestusve damnari posse poëta omni ratione contendit arguitque et, quod ad famam vitae prioris pertinet, identidem de industria eum purgat; vid. vs. 239, 266, 521, 525, 539, 547, 964, 966 sqq., 977, 983, 987 etc.

Non vitio animi sed fatali necessitate patrem occidit, matrem uxorem duxit; non animi perversitas sed deorum voluntas ex summa

---

1) Idem indicant Georg Günther „Grundzüge der tragischen Kunst" Berlin 1885, pag. 129. Eine Schuld als Mörder des Vaters und Gatten der Mutter trifft den Helden also nach dem Willen des Dichters ein für allemal nicht, et J. L. Klein „Geschichte des Drama's", Leipzich 1865, I, pag. 328—357.

felicitate ad infimam eum redegit miseriam; neque postquam perspexit, qui esset, quid fecisset, deorum numen accusavit vel contempsit vel contumeliose iis imputavit miseriam suam, sed et antea et postea deorum fuit cultor. Quae in Oedipode rege vitia sunt animi, ea et sunt in sene; sed iracundia et acerbitas nil ad maculam, quae ei est aspersa; animi autem mutatione ea tantum macula, quae animi pravitate suscepta sit, eluitur. Is, qui non suo vitio suave culpa se lapsum esse intellegat, poenitentia corrigi et dolore virtutem sibi acquirere non recte fingitur.

Verum longe maximi momenti mihi videtur hoc argumentum. Sententia virorum doctorum K. O. Müller, G. Dronke, J. Girard, quam supra attuli („es ist ein griechischer Gedanke dass grosses Leid die menschliche Natur laütere und verkläre" etc. — „durch Leiden zu tiefen Gottesfrieden" — „une purification par la souffrance") [1], plane falsa et prava est. Quam diligenter pensitare operae pretium videtur propterea quod caput id est communis de Oedipode Sophocleo opinionis. Reliqui enim viri docti non aperte iis, quos dixi, assensi sunt, sed illorum verba tacite confirmaverunt; nam si nostra in fabula Oedipus sanctus habetur, hominum mentes dolore et rebus adversis puriores et sanctiores fieri Graecorum et Sophoclis opinio fuerit necesse est. Quem tamen anachronismum, qui dicitur, duco et Christianos sententiam sibi notissimam falso poëtae Graeco tribuisse pro certo habeo. [2]

Ubi, quaeso, ubi in litteris Graecis exilio quemquam correctum esse audimus? Ubi dolor laudatur et hominum vitia imminuere, virtutes creare vel augere putatur? — Nusquam tale quid reperimus et frustra nostrae religionis decretum, secundum quod dolor gaudio anteponendus est, apud Graecos quaerimus. Graeci enim dei puniunt, quia oderunt; oderunt quia laesi sunt, non nefas vindicantes fasve tuentes sed suam iniuriam ulciscentes, pro suo honore pugnantes.

Prorsus igitur alia eorum puniendi ratio est ac dei Christianorum, et si quam rem eodem modo tractarent, alias ob causas ita agerent et proverbium valeret: „cum duo idem faciunt, non est idem." Hic

---

[1]) vid. pag. 4 sq.

[2]) Idem repperi — sed sine argumentis — apud virum doctissimum K. Sittl. Geschichte der griechischen Litteratur bis auf Alexander III, 292: „Wen man freilich sagen wollte der Held sei durch das Unglück gelaütert, würde man dem Dichter eine Christliche Idee aufdrängen."

enim secundum severam iustitiam, quoniam et iustus est et iniuriam odit et omnes mortales liberorum loco habet atque amat, scelus et iniuriam punit, ita ut hominibus maius lucrum quam dei poena fingi non possit [1]) — illi secundum animi habitum mutabilem, quoniam et vindicandi cupidi et se ab hominibus offensos esse gravati et illis quasi inimicis irati atque infesti sunt, facinora et delicta vindicant, ita ut hominibus in maximis calamitatibus deorum poena ponenda sit.

Illorum poena homines corrigi! Illos esse aequos iustosque! Iustusne deum pater atque hominum rex apud Homerum fingitur? Iustamne ob causam modo Graecis modo Troianis victoria conceditur? Iustusne appellari potest Neptunus, qui Graecorum moenibus invidet et invidia ductus ea diruit? Utrum iustitiae gratia an honoris sui causa deus marinus Phaeacas punit? —

Ab Herodoto deos iustos aestimari quis contendat? — Historiae patrem, qui pius deorum sit cultor, casus mutationesque rerum omnes referre ad *τὸν φθόνον τῶν θεῶν, ἐπιστάμενον* (ut Solonem dicere facit) *τὸ θεῖον πᾶν ἐὸν φθονερόν τε καὶ ταραχῶδες* satis, nisi fallor, constat. Cf. Herod. VII, 10 et Heinr. Stein ad locum.

Ne Aeschylus quidem, qui religionem Graecam ad summum fastigium sustulit, semper divinam iustitiam curasse mihi videtur. Ut haec afferam: num sine iure Prometheus Iovi nimiam acerbitatem et crudelitatem obiicit (Prom. 35, 150, 186)? Nonne innocentem Iphigeniam mactari Diana postulat? Nonne Io in Prom. et Cassandra in Agam. nimis gravem pudicitiae luunt poenam?

Omnium tamen scriptorum Graecorum hac de re opiniones accurate exponere neque mearum virium est neque huius libelli; nam ad confutandam aliquam sententiam pluribus quam ad probandam verbis et exemplis opus est et huic disputationi „certi sunt denique fines"; a Sophocle igitur non discedam et paucis demonstrabo apud eum neque homines dolore submissos magis fieri aut meliores neque deos iustos et aequos se praestare.

Aiax a dea Minerva afflictus valde se erravisse intellegit: animusne ideo ad virtutem pietatemque proclivis magis et propensus est? — Mors unum est perfugium. Creon deorum opera et sua

---

[1]) Vide, ut hoc afferam, Epist. ad Hebraeos XII 6—12, et in primis haec verba: *ὁ δὲ* (sc. deus) *ἐπὶ τὸ συμφέρον, εἰς τὸ μεταλαβεῖν τῆς ἁγιότητος αὐτοῦ.* (homines castigat et punit) cf. I Epist. Petri VI, 12, 13. II, 19, 20. Isaias XLVIII, 10. Matth. V, 10.

culpa se magnam sibi contraxisse calamitatem cognovit: diisne pia mente se submittit? deorumne se tradit indulgentiae? — Mors solum videtur solatium. Electraene vel Philocteti prosunt dolor et miseria? Hisne in eorum animo virtutem augeri vel nasci audimus? — Immo vero et Electram in patria et Philoctetem in insula deserta asperiores reddunt aerumnae.

Nusquam dolor hominem attollit. Quod qui fieri posset? Non enim iure et merito sed ad deorum arbitrium homines puniuntur; non iuste aequeque sed libidine et invidia ducti dii agunt. Itaque dolor et maestitia, quae sine aequis legibus sine apto consilio viro accidant, eum non caelum versus tollunt sed affligunt ad solum. Diis cum hominibus agendi ratio eadem est, quae feli cum mure, quocum ludit antequam necat: ludum dirum et crudelem!

Aiax Minervae opera miser fit, a dea ipsa fallitur, dum se ab ea iuvari retur, et gratias ei refert, quas dea accipit. Et ipsa dea virum mortalem decipiendo potestatem suam se ostendere arbitratur, ut, postquam Aiaci mentita est, ex ipsius ore hoc versu audimus:

ὁρᾷς, Ὀδυσσεῦ, τὴν θεῶν ἰσχὺν ὅση;

Video, respondet Ithacae rex, et intellego deos, quoquo volunt modo, homines tractare:

ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο πλὴν
εἴδωλ' ὅσοι περ ζῶμεν, ἢ κούφην σκιάν.

Quamnam igitur ob causam Minerva Aiaci succenset? Malusne, nequam, improbus fuit? — Non ita; sed deerat ei *σωφροσύνη*, muliebris in heroe virtus [1]); deam offendit; dea laesa non curat iustitiam, non rogat, utrum iusta an gravior sit poena, sed vindicat et amicum monet:

τοὺς δὲ σώφρονας
θεοὶ φιλοῦσι.

Neque iusta neque bene considerata ira deae est, quae unum tantummodo diem viro succenseat. Per unum enim diem Minerva ei est timenda, quo die si bene sibi caverit, postea Pallas placabilis erit.

ἐλᾷ γὰρ αὐτὸν τῇδε ἐν ἡμέρᾳ μόνῃ
δίας Ἀθάνας μῆνις Cf. vs. 778 sq.

Recte igitur Mahaffy pag. 307: „Thus in this play also religion

---

[1]) Cf. de huius vocabuli vi Ai. 586, 1259 et praesertim 677, ubi Aiax cum acerba exclamat ironia: „Quidni nos pueri ad instar modesti fiamus?"

and morals are dissociated no doubt unconsciously by the tragic poët, who sought to be a moral teacher of his people." Recte Nauck (ad vs. 758) Herodoti illud comparat: *φιλέει γὰρ ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πάντα κολούειν*. Atqui si tragici numina similia sunt Herodoteis, iam actum est de superorum iustitia, iam *ἐχθρὰ καὶ φθόνος* magis quam severitas et aequitas regunt mundum.

Umbram autem hominem esse in his quoque duobus fragmentis audimus (fragm. 13):

ἄνθρωπός ἐστι πνεῦμα καὶ σκιὰ μόνον.

(fragm. 682):

ὦ θνητὸν ἀνδρῶν καὶ ταλαίπωρον γένος,
ὡς οὐδέν ἐσμεν πλὴν σκίαισιν εἰκότες.

Ita est; homo in deorum manu nihil est nisi umbra; quocumque deus vult, hominem ducit, quoquo modo deo libet, hominem tractat; non iustitia, sed dei voluntas principium movendi est; legamus modo fragm. 572;

Οὐ χρή ποτ' εὖ πράσσοντος ὀλβίσαι τύχας
ἀνδρὸς, πρὶν αὐτῷ παντελῶς ἤδη βίος
διεκπερανθῇ καὶ τελευτήσῃ βίον.
ἐν γὰρ βραχεῖ καθεῖλεν κὠλίγῳ χρόνῳ
πάμπλουτον ὄλβον δαίμονος κακοῦ δόσις
ὅταν μεταστῇ καὶ θεοῖς δοκῇ τάδε.

Item in Antig. vs. 944—988 (in cantico difficillimo versibusque obscurissimis), cum praestans virgo poena iniusta et iniqua afflicta est, chorus exempla affert antiqua fati crudelitatis. Item Philoctetes, cum arcum tradit amico Neoptolemo, hunc monet, ut deorum vitet invidiam, quam sibimet ipsi et Herculi calamitosam fuisse arbitratur (vs. 776):

ἰδοὺ δέχου παῖ. τὸν φθόνον δὲ πρόσκυσον,
μή σοι γένεσθαι πολύπον' αὐτὰ μηδ' ὅπως
ἐμοί τε καὶ τῷ πρόσθ' ἐμοῦ κεκτημένῳ.

Quid Creon, cum consobrinae, filio, uxori mortem se intulisse cognovit? — „Numen iratum habui, hoc oculos mihi obcaecavit, hoc in perniciem me impulit (Ant. 1271):

ἔχω μαθὼν δείλαιος· ἐν δ' ἐμῷ κάρᾳ
τότε θεὸς τότ' ἄρα μέγα βάρος ἔχων
ἔπαισεν, ἐν δ' ἔσεισεν ἀγρίαις ὁδοῖς,
οἴμοι, λακπάτητον ἀντρέπων χαράν.

Non rogat, utrum peccaverit ipse necne, non curat quo facinore numinis illam iram sibi conflaverit: statuit tantummodo superos ea perpetrasse et id satis habet. Iam vero dii, qui hominibus mentis, ut ita dicam, oculos praestringunt, ut miseri ipsi suae calamitatis auctores fiant, num sociandi sunt cum vera iustitia, qualem nos eam nobis fingimus? Nonne magis propria cuiusque dei voluntas et libido, quam aeterna et immutabilis iustitia, tale si quid homini accidat, valere et agere videtur?

Aliam nobis fabulam in mentem revocemus; in Trachiniis quam ob causam Hercules tam severe punitur? — Nolite Iolam abductam vel Oechaliam deletam habere causam; recte Mahaffy scribit (pag. 296): „We must remember, that we are reading of Greek heroic times and manners, when such license was freely accorded to Princes, and when the attachment to Iole, though a great hardship to the wife, would never have been regarded as a breach of good morals." Id si voluisset poëta, clare profecto indicasset; sed neque Hercules neque Deianira, quae amore mariti in errorem pertracta,

ἥμαρτεν χρηστὰ μωμένη,

ut post eius mortem filius de ea testatur (Trach. 1136), neque Antigona, cuius suprema verba sunt (Ant. 942 sq.):

(λεύσσετε) οἷα πρὸς οἵων ἀνδρῶν πάσχω
τὴν εὐσεβίαν σεβίσασα,

neque Lichas neque Iocasta meritas luit poenas. Cur pereant poëta non rogat curatve: consilia deorum non possunt intellegi (fragm. 659):

ἀλλ' οὐ γὰρ ἂν τὰ θεῖα κρυπτόντων θεῶν
μάθοις ἂν, οὐδ' εἰ πάντ' ἐπεξέλθοις σκοπῶν.

cf. Phil. 451, Oed. R. 280.

Miseros mortales, qui a deis puniantur, quos non intellegant; qui eorum odium timeant, quod effugere nequeant (fragm. 611):

αἴσχη μὲν, ὦ γυναῖκες, οὐδ' ἂν εἷς φύγοι
βροτῶν ποθ', ᾧ καὶ Ζεὺς ἐφορμήσῃ κακά.
νόσους δ' ἀνάγκη τὰς θεηλάτους φέρειν.

cf. Oed. C. 252, El. 696, Ai. 455, Oed. C. 964, 998, 1443, fragm. 205.

Miseros mortales! Quod remedium, quod solatium est? — Aequo animo omnia perferre et diis non resistere Oed. C. 1694:

τὸ φέρον ἐκ θεοῦ καλῶς φέρειν χρή.

Phil. 1316:

ἄκουσον· ἀνθρώποισι τὰς μὲν ἐκ θεῶν
τύχας δοθείσας ἐστ' ἀναγκαῖον φέρειν.

fragm. 686:

στέργειν δὲ τἀκπεσόντα κεὖ θέσθαι πρέπει
σοφὸν κυβευτὴν, ἀλλὰ μὴ στένειν τύχην.

„Quid tibi vis?" fortasse dixerit quispiam: „postquam Sophoclem propter excelsas neque ante eum prolatas opiniones laudibus cumulasti (vid. pag. 10—13), nunc ipse tibi obloqueris?" — Facile assentior ita roganti non deësse causam; quam ut diluam, paucis de Sophoclis theologia dicendum mihi est; ne tamen fines mihi positos egrediar, quam brevissime sententiam meam exponam.

Aeschylum si cum Sophocle comparamus, multum inter eum et poëtam nostrum interesse planeque aliter hunc quam illum dramata composuisse et deos sibi informasse neminem latere potest. Aeschylus simplex et pius deorum cultor mihi videtur, qui in pueritia religioso deorum metu imbutus est, qui a parentibus aequalibusque deos non esse nunquam audivit, qui ex animi sententia diis et deorum atque heroum fabulis fidem habet, qui sintne vera, quae antiqui tradiderunt, necne, neque dubitat neque disputat. Poëta, cui tam certa sit opinio, fiducia, persuasio, ipse, si purum eius animum impellat pietas, fabulas antiquas meliores, quam a maioribus fuerint traditae, sibi fingere potest; et sine dubio Aeschylus et Pindarus deos Graecos meliores reddiderunt, quam apud Homerum Hesiodum alios poëtas describebantur et secundum vulgarem erant opinionem, atque heroum fabulis novum decus addentes ita formatas eas aequalibus tradiderunt, ut ethica inde praecepta discerentur, quae a priscorum hominum mente aliena poëta inde elicuisset. Hinc multo puriores, multo perfectiores apud hos poëtas apparent Olympi incolae, quam aut vulgo eos sibi fingerent homines Graeci aut pridem vates epici eos finxissent.

Sed non idem de Sophocle dici potest; non illi omne dubium ignotum fuit. Sane pio animo fabulas antiquas didicerat — non cum lacte nutricis, ut Euripides, dubitationem suxerat — sed cum annorum numerus augeretur, èt ab aliis interdum audivit: „Qui potest?" èt ipse nonnunquam confessus est: „Non intellego, alterum cum altero pugnat." Non dico Sophoclem omnia abiecisse tradita,

verum eum sine ullo dubio vel haesitatione, ut Aeschylum, credidisse omnino nego. Propterea dei Sophoclei propiores sunt a vulgari et communi opinione quam Aeschylei; non iam mutare, corrigere, emendare mores et studia deorum penes eum est, qui in vita hominum consideranda non superorum sapientiam reppererit sed tantummodo aenigmata animadverterit. Eandem ob causam non tam frequenter de diis mentionem facit saepiusque vocem θεῶν τις quam dei cuiusdam nomen adhibet, quodque caput est, consilia eorum se non intellegere confitetur. Aequitatem in fortuna hominis non animadvertit neque, cur absit, intellegit, antiquas fabulas nonnunquam deis indignas esse et cum eorum maiestate pugnare censet, sed nihilominus deos metuit, ubique eorum potestatem valere credit, semper eos colendos esse docet. Pius, ut ita dicam, „agnosticus" est, cuius theologia his continetur sententiis, quas legimus Micha IV 22 et Psalm. CX 10.

„Ipsi autem (ethnici) non cognoverunt cogitationes Domini et non intellexerunt consilium eius." [1])

„Sanctum et terribile nomen eius, initium sapientiae timor Domini."

Si vis brevius: „Vere tu es Deus absconditus." [1]) (Jes. XLV 15) et „Time Dominum." (Prov. XXIV 21).

Inde explicanda est Sophoclis εἰρωνεία vel ἀμφιβολία; homines se prudenti ratione felicitatem petere et prosperitati studere putant, at suae calamitatis ipsos auctores esse in exitu patet; levia verba iacere sibi videntur et in ipsorum verbis fatale vaticinium spectatores audiunt. Indidem apud Sophoclem nimis creber oraculorum usus explicandus est; semper, quid futurum sit, deus constituit idque exsequendum curat; homo in templo id audire potest, intellegere vel animo comprehendere non potest; deorum consilia percipere potest, non potest sua ipsius consilia exsequi.

Quae res quamvis Sophocleae arti ab altera parte obessent, tamen ab altera parte profuerunt; poëta enim ab Olympi incolis alienior omne suum studium in homines contulit, quorum in moribus exprimendis omnem curam et operam posuit. Atque insuper poëta, qui singulis numinibus quae facultates atque virtutes essent propriae aut minus curaret aut non satis sciret, identidem deorum leges et

---

[1]) Non de Iudaeis sed de ethnicis loquitur vates Iudaeus; dei iustitia et consilium Iudaeis et Christianis, quibus ὁ θεὸς διαθήκην διέθετο, nota, ethnicis ignota sunt.

divinam iustitiam memorat, summum bonum a deorum personis seiunctum exstare et maximi momenti habendum esse docet. Ab altera parte Aeschylo cedit vulgarem secutus opinionem, ab altera omnes priores longe superat. Superat, cum hominis alicuius mores atque ingenium accurate depingit, cum de Olympi illis legibus, quas neque *ὁ τυχὼν θεὸς* edixerit neque saecula mutatura sint, canit vel loquitur; cedit, cum iustitiam non ad deos pertinere docet et rationem, quae deos inter et homines intercedit, omnino sibi fingit *ὡς ἄν τις εἷς τῶν χρηστῶν Ἀθηναίων* (Athen. XIII 604 d). [1]

Dei enim apud Sophoclem sine certo consilio alium mortalem beneficiis augere, alium calamitate premere, alium plane neglegere videntur, verum homines poena et poenitentia meliores, dolore et maerore puriores reddant alii dii, dii Sophoclei non didicerunt; qua in re ne Aeschylus quidem ad meliorem notionem processit. [2] Quam saepe vocabula *μεταμέλεια*, *μετάνοια*, notio „poenitentia" apud poëtam nostrum vel potius apud omnes poëtas epicos et tragicos occurrunt? — Non novit illud Graecia antiqua, Graecia Homeri, Hesiodi, Aeschyli, Pindari, Sophoclis.

In transitu moneo me de diis Graecis loquentem Platonis et scriptorum posteriorum nullam habere rationem; apud quos sine dubio alias reperimus sententias, sed quoniam post belli Peloponnesiaci finem antiquus Olympus cum omnibus incolis corruit atque antiqui dii novis numinibus cesserunt, quoniam, ut idem aliis verbis dicam, philosophorum scholae antiquam de diis opinionem valde mutaverunt, nova illa placita ad antiquos deos intellegendos non adhibenda sunt. Graeciae igitur antiquae ne nimis pulchras tribuamus de doloris vi et effectu opiniones, Sophocli ne notiones de deis Aeschyleas, Platonicas, Christianas adscribamus.

---

[1]) Sophocles non unam, certam, definitam doctrinam habet defenditve, sed modo divino afflatu incitatus altius in res difficillimas penetrat, modo ad vulgares informationes notionesque recidit non animadvertens hoc, quod nunc dicat, repugnare cum eo, quod antea praedicaverit.

[2]) Unus locus, qui huc facere videtur, in Agam. legitur (vs. 186—188):

τὸν φρονεῖν βροτοὺς ὁδώ-
σαντα, τὸν πάθει μάθος
θέντα κυρίως ἔχειν.

Sed is quoque melius alia ratione explicatur; versus 190 *παρ' ἄκοντας ἦλθε σωφρονεῖν* et duorum sequentium sententiam esse patet: „Wer nicht hören will, muss fühlen." (Wecklein). Non ad homines corrigendos sed ad metum iis iniiciendum Iupiter poenas repetit. Cf. eundem chorum de Iphigenia mactata vs. 263.

DE OEDIPODIS PERSONA CONCLUSIO.

Quae omnia quid ad Oedipum? — Sanctus non est, nam neque dei Graeci virum sanctum reddere curant, neque homo mortalis secundum Graecorum sententiam rebus adversis purior fit aut integrior. Qui tandem esse fingitur? — Paucis vocabulis sententiam meam explanabo: „Oedipus non sanctus est sed sacer!" *Οὐχ ὅσιος καὶ ἁγνός ἐστιν ἀλλ' ἱερός*. Post ea, quae supra dixi, non obscurum esse, quid nunc dicere velim, confido. Superi in Oedipodis vita magis quam in aliorum suam ostendunt potestatem et ad suum se arbitrium mortalium casus regere demonstrant. Antea iis placuit Oedipum miserum reddere, nunc magnum ei tribuere honorem: antea affligere, nunc attollere eum iis libet; cuius libidinis neque causa est neque consilium vel potius neque causa neque consilium ab hominibus cernitur. Is, quem antea nulla admissa culpa deorum manus icerat, quem divitia, potentia, felicitate gavisum superi in summam miseriam redegerant, nunc nulla de re bene meritus neque meliores adeptus mores deorum opera liberatur sollicitudinibus et magnam apud posteros obtinet famam.

Neque Oedipus primus est, quem ita dei tractent. Haud aliter Hercules a Iunone invida vexatus et cruciatus vitam degit laboriosam et difficilem, sed vivus omnes molestias et pericula expertus post mortem *ἀθάνατον* obtinuit *ἀρετήν*. Prorsus eodem modo Philoctetes deorum consilio multos annos in miseria vixit, sed multa mala perpessus postea magnam gloriam et prosperitatem adeptus est. Quae poëta noster satis clare his versibus dicit (Phil. 1418—23):

καὶ πρῶτα μέν σοι τὰς ἐμὰς λέξω τύχας,
ὅσους πονήσας καὶ διεξελθὼν πόνους
ἀθάνατον ἀρετὴν ἔσχον, ὡς πάρεσθ' ὁρᾶν.

καὶ σοί, σάφ' ἴσθι, τοῦτ' ὀφείλεται παθεῖν,
ἐκ τῶν πόνων τῶνδ' εὐκλεᾶ θέσθαι βίον.

Dolorem excipit felicitas, sed quae huic cum illo sit causa et ratio, poëtae non apparet: a nobilissimo et verissimo dogmate — summam felicitatem dolore et rebus adversis pari — prope afuit, sed eo non pervenit. Alterum alteri succedere animadvertit, sed alterum cum altero arctissimo vinculo cohaerere et consociatum esse nondum intellexit. Herculis et Philoctetis personae argumento sunt clarissimo in Oedipodis animo nullam ex miseria nasci sanctitatem.

Ut *βοῦς ἄφετος*, ut sacerdotes, qui se deorum cultui voverunt, ita Oedipus in primis deorum est proprius, diis votus et sacer est. Propterea Apollo iuveni futura praedicit, in constanti vel media aetate eo versante exsequitur quae praedixit, senem eum a vita avocat. Deorum Oedipus dominium est, in eo numen eorum et potestas conspicitur, ut luce clarius poëta his versibus indicat:

vs. 394 *ΙΣΜΗΝΗ*
νῦν γὰρ θεοί σ' ὀρθοῦσι, πρόσθε δ' ὤλλυσαν.

vs. 964 *ΟΙΔΙΠΟΥΣ*
... θεοῖς γὰρ ἦν οὕτω φίλον ...

vs. 1565 *ΧΟΡΟΣ*
πολλῶν γὰρ ἀνταλλαγὰν πημάτων — — ⏑ —
πάλιν σφε δαίμων δίκαιος αὔξοι [1]).

Utinam multas priores calamitates dei gratia compenset, qui iustitia permotus nunc eum rursus attollit.

Qui versus fortasse melius hac ratione leguntur:

πολλῶν γὰρ αὖ τέρματ' ἂν πημάτων ἱκνούμενον
πάλιν σφε δαίμων δίκαιος αὔξοι [2]).

Nam is, qui ad diuturnae finem miseriae pervenerit, suo iure rursus a deo attolletur.

Sed non solum dii non neglegunt Oedipum, verum etiam Oedipus deos semper colit: semper deos, quid sibi faciendum esset, rogavit, semper deorum exsecutus est mandata, semper diis summum tribuit honorem, ita ut suo iure declarare possit (vs. 286):

ἥκω γὰρ ἱερὸς εὐσεβής τε

---

[1]) Ita coniecit Bücheler.
[2]) Coniectura viri doctissimi R. C. Jebb.

Et sub deorum tutela et pius eorum cultor sum, qui huc veni. Qui dei, ut supra dixi, mentem et animum non curant, sed magis res vitae externae animadvertunt, vitia ac virtutes parvi facientes. Itaque viro res adversae non puriorem praebent animum, neque senex, antequam aeternum adipiscitur honorem, sanctus fiat oportet. Gratiam videmus, nil nisi gratiam, et concludamus necesse est: „Oedipum Coloneum non sanctum hominem sed sacrum a poëta fingi."

Iam satis diu de Oedipodis sanctitate, quam statuunt viri docti, egisse mihi videor; ad alteram quaestionem transire et quae nostra in tragoedia Furiarum me iudice partes sint, exponere mihi liceat. Quod antequam faciam, Aeschyli Sophoclisque de Diris notiones atque informationes inter se comparare haud inutile mihi videtur; neglecto enim discrimine, quod inter utrumque tragicum interest, omnes fere viros doctos Sophocli tribuisse, quod Sophoclis non sit, et quae fabulae nostrae non insint, tamen inde duxisse arbitror; simul autem spero fore, ut locos quosdam sic melius interpretari possim.

DE FURIIS AESCHYLEIS.

In tragoediis Graecis saepe commemorantur potentia illa numina, feroces illae deae, quae homines nequam et nefarios agitant, scelus vindicant atque puniunt, mortales scelere commaculatos nusquam consistere patiuntur semperque omnibus, qui deliquerunt, metum terroremque iniiciunt. Quae quamquam recte ab Aeschylo in numero ponuntur dearum antiquissimarum, tamen, priusquam Athenis tragoediae agi coeptae sunt, nondum claro illo fruebantur nomine, quod a tragoediarum demum poëtis saeculo quinto acceperunt. Quam arto autem vinculo apud Athenienses Furiae cum tragica arte cohaererent, luce clarius nobis ex loco illo Aristophanis patet, ubi deam Paupertatem in scenam prodeuntem necdum agnitam Blepsidemus Furiam esse suspicatus ad amicum Chremylum dicit:

ἴσως Ἐρινύς ἐστιν ἐκ τραγῳδίας. [1])

Pauca tamen quaedam de potestate, quam illis Homerus tribuit, mihi dicenda sunt, priusquam quid Aeschylus Sophoclesque de iis senserint investigare coner.

In Homeri igitur carminibus Furiae, ne prave agant homines, curant caventque, sed neque saepe commemorantur neque horrendae et inexorabiles munere suo semper funguntur. Equum viro mortali vaticinantem cohibent; Neptunus, cum fratri natu maiori cedere cunctatur, earum admonetur; Phoenix, Achillis altor, quominus prole gauderet, patris eius precibus commotae prohibuerunt.

Ne quis ordinem modumque communem egrediatur, impediunt, recte ideo ἐπίσκοποι τῶν παρὰ φυσίν appellatae in Schol. ad Il. XIX 418. Ut, qui colendi sunt, colantur hospites, peregrini, natu maiores, parentes, efficiunt; si quis vero secus faxit, puniunt. At neque

[1]) Conferatur vox ἐρινὺς τραγικὴ Plutarch. Dion. 55.

semper suo marte suaque sponte munere funguntur, sed saepe Orci et Proserpinae mandata exsequuntur, ut ex. Hom. Il. IX 454—458 et 569—573 coll. Scholiis satis apparet; neque in poena exigenda ita agunt talesque sese gerunt, ut eas vocantes obstupescant homines atque horrore metuque impleantur; deae sunt potentes ac graves, sed neque semper mortem parricidae petunt, neque perpetuo odio nocentem per vitam sequuntur. Praeterea saepe caedem ulciscuntur et cum inferis coniunguntur, sed non omnibus quibus apud Homerum memorantur locis intra hos potestas earum continetur terminos.

Multo maior apud Aeschylum earum fingitur potestas, multo accuratius descripta est multoque crebrius de iis fit mentio. Neque est quod miremur; quoniam in tragoedia saepe agitur de culpa et de officiis quaerique solet, quo modo illa puniatur, haec quo modo inter se pugnent, maioris momenti Furiae fiant necesse est; illae enim et culpam admissam et officium neglectum vindicant. Eaedem tamen deae, quae improbos ulcisci student, bonis et piis praemia atque beneficia impertiunt et cum omnibus fere diis inferis hac in re congruunt, quod quasi duplicem habent provinciam. Benevolas autem et propitias cum se praestant, Eumenides appellari solent et fertilitatem dare agris, homines liberis augere creduntur. Ut nostro saeculo homines Catholici, qui nuper matrimonio coniuncti sunt, ad urbem „Lourdes" iter faciunt, ut virginem sanctam venerentur, ita antiquis temporibus paullo post matrimonium Athenienses, ut Eumenides sibi faverent, in earum templo precabantur [1]. Propitiae vero cum in Oedipode Coloneo tum in Orestiae exitu deae finguntur, ubi de iis Minerva declarat (Eum. vs. 931):

πάντα γὰρ αὗται τὰ κατ᾽ ἀνθρώπους
ἔλαχον διέπειν.

et (Eum. vs. 951):

μέγα γὰρ δύναται
πότνι᾽ Ἐρινὺς παρά τ᾽ ἀθανάτοις
τοῖς ὑπὸ γαῖαν, περί τ᾽ ἀνθρώπων
φανερῶν τελέως διαπράσσουσιν
τοῖς μὲν ἀοιδάς, τοῖς δ᾽ αὖ δακρύων
βίον ἀμβλωπὸν παρέχουσαι.

---

[1]) Cf. Schol. Aesch. Eum. 838. Herod. IX 149. Hom. Il. IX 444—496.
Porro earum templum asylum erat servis fugitivis aliisque miseris, cf. Schol. Arist. Eq. 1312, Schol. Arist. Thesm. 224, Suid. in voce *Θησεῖον*, Thuc. I. 126.

Ibidem Parcarum esse sorores multumque apud eas prece valere audimus (Eum. vs. 961):

θεαί τ' ὦ Μοῖραι
ματροκασιγνῆται,

quibuscum quasi uno eodemque munere fungentes etiam a Prometheo coniunguntur, qui, postquam nullam adversus fatum valere artem, nullam adversus necessitatem Iovi esse potestatem declaravit, a choroque, quod tandem potens numen fato praeesset, rogatus est, hoc dat responsum (Prom. vs. 516):

Μοῖραι τρίμορφοι μνήμονές τ' Ἐρινύες.

Quam vero in Oedipode Coloneo partem agant, optime cognoscitur ex versu 458, ubi Oedipus chorum petit, ut sibi ferat auxilium

πρὸς ταῖσι τρὶς σεμναῖσι δημούχοις θεαῖς. Cf. 486 sqq.

Deae, quae *δημοῦχοι* appellantur [1]), in primis prosperitatem non calamitatem praebere et afferre creduntur.

At Eumenides propitiae non tam frequenter quam earum acerbitas et severitas et ira argumenta in fabulis componendis praebuere; qua ex re factum est, ut eas et Aeschylus et Sophocles omnibus fere locis *Ἐρινύας* vel *Ἀράς* appellarent, et in puniendo ulciscendoque praesertim versari facerent. Itaque haec potestas, si naturam dearum, quales eas finxere poëtae, penitus cognoscere volumus, in primis animadvertenda et, quod ipse Aeschylus munus Furiis tribuerit, inquirendum est.

In tertia Orestiae parte Furiae canunt (Eum. 335):

τοῦτο γὰρ λάχος διανταία
Μοῖρ' ἐπέκλωσεν ἐμπέδως ἔχειν,
θνατῶν τοῖσιν αὐτουργίαι
ξυμπέσωσιν μάταιοι,
τοῖς ὁμαρτεῖν, ὄφρ' ἂν
γᾶν ὑπέλθῃ· θανὼν δ'
οὐκ ἄγαν ἐλεύθερος.

Neque vivum neque mortuum e manibus dimittunt nocentem; perpetuo, postquam semel facinus impium admissum est, eum persequuntur et agitant. Qui autem illi tanto odio tantaque poena digni sint, si rogamus, paullo ante in eadem fabula responsum exstare videmus (Eum. 269).

---

[1]) Cf. *γαιάοχος* O. R. 160. *πολισσοῦχος* Aesch. Sept. 69, 105. Arist. Eq. 581.

ὄψει δὲ κεἴ τις ἄλλος ἤλιτεν βροτῶν
ἢ θεὸν ἢ ξένων
τιν᾽ ἀσεβοῦντες ἢ τοκῆας φίλους,
ἔχονθ᾽ ἕκαστον τῆς δίκης ἐπάξια.

Quibuscum locis tertius est coniungendus, ut, unde veniant deae, ubi habitent, quam ob causam in praedam ruant perspiciamus (Eum. 317):

ὅστις δ᾽ ἀλιτῶν ὥσπερ ὅδ᾽ ἀνὴρ
χεῖρας φονίας ἐπικρύπτει,
μάρτυρες ὀρθαὶ τοῖσι θανοῦσιν
παραγιγνόμεναι πράκτορες αἵματος
αὐτῷ τελέως ἐφάνημεν.

Sanguis effusus inultus manere nequit; *τί γὰρ λύτρον πεσόντος αἵματος πέδοι*; chorus rogat (Choeph. 47) et idem paullo post (64 sqq.) pronuntiat:

δι᾽ αἷμα ἅπαξ ποθὲν δ᾽ ὑπὸ χθονὸς τροφοῦ
τίτας φόνος πέπηγεν οὐ διαρρύδαν.

(vid. praeterea Choeph. 400, 518, Agam. 1187 sq.). Is, qui interemptus est, clamat, ut necis auctor idem patiatur, Furiasque, quae *ὑπὸ χθόνα τάξιν ἔχουσι καὶ δυσήλιον κνέφας* (Eum. 398) incitat, ut *πράκτορες αἵματος* suum exsequantur officium.

Itaque apud inferos semper habitant, procul a dis superis remotae instiganturque a mortuis atque praesertim ab iis, quos hospites vel liberi nefarie interemerunt. Aeque autem Furias ius liberorum a parentibus violatum defendere ex Clytaemnestrae verbis comperimus, quae coniuge mactato haec gloriatur (Agam. 1433):

μὰ τὴν τέλειον τῆς ἐμῆς παιδὸς Δίκην
Ἄτην τ᾽ Ἐρινύν θ᾽, αἷσι τόνδ᾽ ἔσφαξ᾽ ἐγώ....

cf. Agam. 1417, 1527, 1554 et 1498, 1508.

Ne vero mulierem efferatam, ut facinus partim ira partim amore instigante admissum (vid. Ag. 1438 sqq., Choeph. 893) excuset, novam Furiis provinciam fingere arbitremur, et multi alii loci e canticis nos admonere possunt et id quod ex Cassandrae vaticinantis ore audimus (Agam. 1103):

ἦ δίκτυον τιταίνει
δάμαρ κυσὶ ξύνευνος ἁ ξυναιτία
Αἴδου;

Sed fortasse, si parodum, quae dicitur, chori raptim percurrimus, clarior apparebit poëtae opinio.

Senes Argivi ante domum regiam quaerunt, quae sacrorum et laetitiae sit causa (83 sqq.); num falsum sit gaudium, rogant; suos sollicitos esse animos pronuntiant (100 sqq.). Quam ob rem solliciti sunt? — Ipsi narrant: cum Argivorum classis Peloponnesum relinqueret, omina Juppiter misit, quae etiamnunc eos metu compleant; duas enim aquilas prope a domo regia gravidum leporem comedisse; quo viso prodigio Calchantem Troiam captum et direptum iri Graecosque victores e bello evasuros praedixisse, sed statim adiunxisse (Agam. 136):

οἷον μή τις ἄγα θεόθεν κνεφά-
σῃ κτέ.

Utinam ne deorum invidia et ira Graecum feriat exercitum; periculum enim est, ne Diana Atridis irascatur; cf. quae leguntur vs. 155 sqq.:

μή τινας ἀντιπνόους Δαναοῖς χρονίας ἐχενηΐδας αὔρας
σπευδομένα θυσίαν ἑτέραν ἄνομόν τιν', ἄδαιτον
....τεύξῃ....

Utinam ne Diana ventis cohibendis Agamemnonem, ut contra ius et fas suam filiam Iphigeniam mactet, permoveat!

Post Iovis laudem, qui tantopere omnes et omnia superare dicitur, ut ipse unus secum sit comparandus, chorus Agamemnonis canit animum in contraria aestuantem; ventis enim adversis navibusque altum petere prohibitis diu dubitavit, utrum hostiam, quam dea postulare diceretur, mactaret, an filiae salutem suae sociorumque gloriae anteponeret (vs. 216):

βαρεῖα μὲν κὴρ τὸ μὴ πιθέσθαι
βαρεῖα δ', εἰ
τέκνον δαΐξω, δόμων ἄγαλμα,
μιαίνων παρθενοσφάγοισιν
ῥοαῖς πατρῴους χέρας πέλας βωμοῦ.

Sed paternum amorem vicit gloriae studium; cum alterum utrum ei esset eligendum nihilque esset medium

τόθεν
τὸ παντότολμον φρονεῖν μετέγνω.
βροτοὺς θρασύνει γὰρ αἰσχρόμητις
τάλαινα παρακοπὰ πρωτοπήμων. (vs. 230 sqq.)

Tum consilium cepit quam maxime impium; furor

enim perniciosus, qui mala consilia ministrando prima malorum exsistit causa, homines pellit ad audaciam.

Deinde pulcherrimis versibus pingitur, quo modo immolata sit Iphigenia, quo modo omnium ad lacrimas moverit praesentium animos, quo modo pater filiae os claudi iusserit, ne ipse et spectatores *φθόγγον ἀραῖον οἴκοις* (vs. 247) exaudirent.

Unde quid metuendum sit, chorus prudens tacet, sed hoc sibi constare declarat (vs. 263):

Δίκα δὲ τοῖς μὲν παθοῦ-
σιν μαθεῖν ἐπιρρέπει.

Dea Iustitia homines poenam impertiendo meliora docet (cf. ante sacrificium vs. 186 sqq.).

Ipsum autem chorum regi suo faventem cum tantopere filiae caedes permoveat, non est mirandum, quod uxor, propter impium Aegisthi amorem marito infesta, caedem Iphigeniae patri funestam fore se suspicari dicit (vs. 359). Immo cum Agamemnonem salvum iam in patriam revertisse chorus vidit, nondum tamen omnem deponit metum (vs. 978):

πεύθομαι δ' ἀπ' ὀμμάτων
νόστον, αὐτόμαρτυς ὤν.
τὸν δ' ἄνευ λύρας ὅμως ὑμνῳδεῖ
θρῆνον Ἐρινύος αὐτοδίδακτος ἔσωθεν
θυμός,

idque propterea quod Iphigeniae sanguinem humi effusum nondum expiatum esse recordetur:

τὸ δ' ἐπὶ γᾶν πεσὸν ἅπαξ θανάσιμον
πρόπαρ ἀνδρὸς μέλαν αἷμα τίς ἂν
πάλιν ἀγκαλέσαιτ' ἐπαείδων;

Cf. Eum. 263, 650 [1]).

Omnia, quae dixi, prodigium leporis et aquilarum, mactata Iphigenia, metus et cura chori, verba et probra reginae satis superque indicant quam ob causam Furiae ab Agamemnone poenas sumpserint [2]).

Dirae igitur per Clytaemnestrae manum maritum ulciscuntur

---

[1]) Hoc loco poëta vacabulo „ἀνδρός" utitur, quo magis communis sit sententia neve aperte indicetur Iphigeniae caedes.

[2]) Etiam apud alios poëtas liberorum Furiae commemorantur, cf. Hesiod. Theog. 472. Eurip. Med. 1389. Nonn. Dion. X. 97.

neque id propter Atrei sed propter ipsius Agamemnonis culpam. Secundum enim Aeschyli sententiam non culpa maiorum hominibus gravis est, sed suis ipsorum flagitiis iram deorum movent. Non magnum sane inter utramque sententiam est discrimen, nam flagitia committunt *ὑπὸ τοῦ ἀλαστόρος* impulsi, et si quis commaculatis parentibus progenitus est, semper ei impendit *ἡ ἄτη*; attamen nonnisi pro suo quisque scelere punitur. In fabula, ut hanc afferam, Septem adv. Theb. vs. 673—720 patris exsecratio Polynicem, quominus prudenter agat, impedit (695 sqq.); ita autem occaecatus neque generis Laii salutem curat (689 sqq.), neque fratris sanguine se commaculare habet religioni (683 sqq.); quapropter occidit (816).

Non meum est indagare, quatenus Aeschylus Furiarum imaginem aliunde petiverit, quid de suo addiderit; utrum iam Stesichorus eodem modo eas descripserit necne; sed earum imago a poëtarum tragicorum principe depicta qualis sit ostendere, id haud inutile mihi videtur.

Semper apud Aeschylum Furiae verae sunt deae, quae suis ipsarum auribus oculisque usae hominum imprecationes percipiunt scelerumque auctores ulciscuntur; semper deae sunt animantes et rationis compotes, non nomina inania ad ipsas imprecationes designandas a poëta adhibita.

Apud inferos habitant; quapropter nullius exsecratione, nisi qui mortem iam oppetiverit, moventur; magnum autem aliquod officium violavit magnaeque impietatis affinis est is, quem persequuntur.

Postremo, quamquam hominum deumque patri omnia gubernanti — *τί γὰρ βροτοῖς ἄνευ Διὸς τελεῖται* (Ag. 1488); — etiam Furiae oboediunt, tamen non cum dis superis coniunctae vel eorum nutu, sed ad arbitrium suum poenas exigunt et *αὐτοκράτορες* munere funguntur; immo vero superis ignotae sunt et, ut illi puniendi munere vacent, provinciam acceptam habent Furiae,

Νυκτὸς παλαιαὶ παῖδες, αἷς οὐ μίγνυται
θεῶν τις οὐδ' ἄνθρωπος οὐδὲ θήρ ποτε.

Eum. 69 cf. Eum. 350, 389, 414 et Eum. 361:

σπεύδομεν
θεῶν ἀτέλειαν ἐμαῖσι λιταῖς ἐπικραίνειν.

Quam ob causam si domus quaedam τῇ ἄτῃ obnoxia est, Furiarum numen prae ceteris commemoratur.

In capite sequenti demonstrare conabor Furias apud Sophoclem neque semper deas animantes rationis compotes fingi neque a mortuis tantum moveri neque αὐτοκράτορας munere suo fungi, nunc vero singulos Aeschyli fabularum inspiciamus locos, ut videamus, an cum iis, quae dixi, pugnent.

Ex fabulis de Oedipodis domo agentibus una superest, quae „Septem adversus Thebas" inscribitur; sed ex ea, quid ceterarum fuerit argumentum, facile intellegimus. Laius mandatum Apollinis, qui liberos progignere vetuit, neglegit: inde fit, ut Oedipus patrem necet matremque ducat uxorem et tota domo potiantur Furiae; ἡ ἄτη ad nefas pellicit, nefas Furiae ulciscuntur. Quam magnum in reliqua fabula numen Dirarum describitur! Furiae vel Furia (nam modo numerum pluralem, modo numerum singularem sine ullo discrimine usurpat poëta, de qua re mox plura), quae amorem patris ab Eteocle et Polynice neglectum ulciscitur, una utrique filio mortis causa est. Iure igitur in exitu fabulae canit chorus (vs. 1053):

φεῦ φεῦ
ὦ μεγάλαυχοι καὶ φθερσιγενεῖς
Κῆρες Ἐρινύες, αἵτ' Οἰδιπόδα
γένος ὠλέσατε πρυμνόθεν οὕτως,
τί πάθω; τί δὲ δρῶ; κτέ.

et paullo ante (vs. 989):

μέλαιν' Ἐρινύς, ἦ μεγασθενής τις εἶ.

et vs. 886:

κάρτα δ' ἀληθῆ πατρὸς Οἰδιπόδα
πότνι' Ἐρινὺς ἐπέκρανεν.

Iure ante caedem perfectam, ne quid Furiae detrimenti afferant, timet (vs. 720 sqq.):

πέφρικα τὰν ὠλεσίοικον
θεὸν οὐ θεοῖς ὁμοίαν,
παναληθῆ κακόμαντιν
πατρὸς εὐκταίαν Ἐρινὺν
τελέσαι τὰς περιθύμους
κατάρας βλαψίφρονάς τ' Οἰδιπόδα.

Horror me incessit, ne perniciosa dea, diis dissi-

milis, verax malorum vates, Furia, patris imprecatione vocata, ad finem perducat exsecrationes iracundas et exitiales Oedipodis.

Et vs. 785 sqq.:

τέκνοισιν δ' ἀρὰς
ἐφῆκεν ἐπίκοτος τροφᾶς.
αἰαῖ, πικρογλώσσους ἀράς,
καί σφε σιδαρονόμῳ
διὰ χερί ποτε λαχεῖν
κτήματα· νῦν δὲ τρέω
μὴ τελέσῃ καμψίπους Ἐρινύς.

Iis locis ubique procul dubio deae sunt animantes, quae a mortuo Oedipode instigantur neque cum superis coniunguntur neque eorum iussu munere funguntur. Sua sponte ex inferis prodeunt, suo marte in filios impios ruunt, quorum secundum patris exsecrationem perniciem moliantur.

Primo aspectu dubitari potest vs. 69 sqq., ubi Eteocles adventu hostium audito exclamat:

ὦ Ζεῦ τε καὶ Γῆ καὶ πολισσοῦχοι θεοὶ
Ἀρά τ', Ἐρινὺς πατρὸς ἡ μεγασθενής,
μή μοι πόλιν γε πρυμνόθεν πανώλεθρον
ἐκθαμνίσητε ......

et rogari an non hic aut vocabulum Ἐρινύς sensu exsecrationis sit positum, aut deae Furiae cum superis coniungantur. Sed vanas eas esse suspiciones patet si legimus, quae sequuntur (vs. 76):

γένεσθε δ' ἀλκή· ξυνὰ δ' ἐλπίζω λέγειν·
πόλις γὰρ εὖ πράσσουσα δαίμονας τίει.

Furia, quae patrem vindicat; neque urbem adiuvat neque a civibus, quibus res bene cedunt, colitur; itaque ea non ad Furiam spectant, sed tantum ad superos, quorum Eteocles imploret auxilium, ne Ἐρινὺς πατρός Thebas perditum eat. Non igitur coniunguntur, sed inter se opponuntur di superi et Furiae.

Vs. 574. Tydeum vocat Amphiaraus Ἐρινύος κλητῆρα; vir doctissimus H. L. Ahrens coniecit pro vocabulo „κλητῆρα" (praeconem) „λητῆρα" (sacerdotem), quae mihi certa correctio videtur; sed utut scripsit poëta, sive praeconem, sive sacerdotem, Ἐρινύς sine dubio hic dea animans et rationis compos est.

Vs. 698 sqq. Si choro fidem haberemus, Furias esse pla-

cabiles et malum a domo sacris averti posse crederemus:

> ἀλλὰ σὺ μὴ 'ποτρύνου· κακὸς οὐ κεκλή-
> σει, βίον εὖ κυρήσας· μελαναιγὶς οὐκ
> εἶσι δόμους 'Ερινύς, ὅταν ἐκ χερῶν
> θεοὶ θυσίαν δέχωνται.

At si recordamur eo loco chorum, ut Eteoclem placet, studere ideoque benėvolentius quam verius loqui, statim dubium cedit et locum, de quo agimus, non cum ceteris pugnare videmus. Qui locus nullam in partem ipsius poëtae sententiam tradat necesse est neque alibi placabiles dicuntur Dirae.

Postremus locus est hic (vs. 866):

> ἡμᾶς δὲ δίκη πρότερον φήμης
> τὸν δυσκέλαδόν θ' ὕμνον 'Ερινύος
> ἰαχεῖν, Ἀΐδα τ'
> ἐχθρὸν παιᾶν' ἐπιμέλπειν.

Hymnus Furiae non carmen est, quo Dirae celebrentur, sed quale ab illis ipsis cani soleat. Furiae, cum in hominem sibi devotum ruunt, canentes finguntur odium suum et imminentem praedae suae perniciem, qui canendi mos cum dearum natura ita est coniunctus, ut poëta vocabula ὕμνος et 'Ερινύς deinceps usurpare non possit, quin quisque statim de celebri illo cogitet deorum carmine. Ex Cassandrae ore audimus (Agam. 1185 sqq.):

> τὴν γὰρ στέγην τήνδ' οὔποτ' ἐκλείπει χορὸς
> σύμφθογγος οὐκ εὔφωνος ..... συγγόνων 'Ερινύων.
> ὑμνοῦσι δ' ὕμνον δώμασι προσήμεναι.

ipsae Furiae ad Orestem (Eum. 306):

> ὕμνον δ' ἀκούσῃ τόνδε δέσμιον σέθεν.

et vs. 329 sqq.:

> ἐπὶ δὲ τῷ τεθυμένῳ
> τόδε μέλος παρακοπά,
> παραφορὰ φρενοδαλής,
> ὕμνος ἐξ 'Ερινύων κτέ.

Ex quibus locis iam satis, nisi fallor, patet chorum, qui 'Ερινύος θρῆνον ὑμνῳδεῖ (Agam. 981) vel ὕμνον ἰαχεῖ (Sept. 861), instantem regis mortem praesagire vel, si iam obierit, fatali carmine, more suo ululantem nunciare. Cantus autem originem ex tonitru, tempestatis comite, explicandam esse libenter viris doctis assentior; Furias enim antiquitus deas fuisse nubium fulmina emittentium valde est

veri simile et etiam apud Euripidem, ut e multis unum afferam argumentum, vestigium huius originis invenimus in voce *Ἐρινύων μυκήματα* (Iph. Taur. 293).

Omnibus iam huius fabulae tractatis locis, valere eam iubemus; hoc unum addo interdum de ipsis quoque deabus vocabulum usurpari *Ἀραί* (Sept. 945, Eum. 420), sed id multo pluribus locis nil nisi exsecrationem significare.

Cum in „Prometheo" uno tantum versu, quem dixi, in „Persis" autem et in „Supplicibus" nusquam de Furiis fiat mentio, iam ad Orestiam pervenimus, in qua Furiarum potestas maximi est momenti ipsaeque in scenam prodeunt.

Agamemnonis fabulae initio chorus Atridas exercitum in Asiam traducentes cum vulturibus comparat, qui, postquam pullos in nido necatos invenere, certandi cupiditate flagrantes se tollunt in aërem:

> *ὕπατος δ' ἀΐων ἤ τις Ἀπόλλων*
> *ἢ Πὰν ἢ Ζεὺς οἰωνόθροον*
> *γόον ὀξυβόαν τῶνδε μετοίκων*
> *ὑστερόποινον*
> *πέμπει παραβᾶσιν Ἐρινύν.* (vs. 55 sqq.)

Pergit poëta: sic Iuppiter, hospitum patronus, Atridas ad Troianos mittit, multis periculis et laboribus Graecos Troianosque obiecturus.

Hic unus est locus, qui cum reliquis discrepat; Furia enim a superis mittitur et ob pullos necatos non ob homines interfectos munere fungi dicitur. At recordari debemus comparatione uti poëtam non facta tradere, Furiaeque non magis quam in transitu mentionem fieri; Atridae cum vulturibus comparantur, quorum pulli necati sunt; ut aves in aerem se tollunt, ita duces exercitum educunt; iustae poenae, quas is, qui deliquit, dabit, minoris sunt momenti. Verum, utut se res habet, ea, quae hic habemus, repugnant iis, quae alibi leguntur; hac de re tamen ne miremur apud poëtam, qui, quamvis claram semper habeat numinis cuiusdam imaginem certumque ei tribuat munus, uno tamen alterove loco sibi ipsi si obloquitur, solitum vatum sequitur morem. Notatu autem dignum est hunc locum unum esse, ubi quidquam aliud quam ceteris audiamus, neque, si cum aliis comparetur, magnum praebere discrimen, quia Furiae nocentes punire et verae deae esse et hic dicantur, neque multam habere auctoritatem, quoniam caput comparationis in aliis

rebus versetur. Iam sequentes inspiciamus et, reperiaturne simile quidquam in Aeschyli tragoediis superstitibus, videamus.

Vs. 465 sqq.
μένει δ' ἀκοῦσαί τί μου
μέριμνα νυκτηρεφές.
τῶν πολυκτόνων γὰρ οὐκ
ἄσκοποι θεοί. κελαι-
ναὶ δ' Ἐρινύες χρόνῳ
τυχηρὸν ὄντ' ἄνευ δίκας
παλιντυχεῖ τριβᾷ βίον
τιθεῖσ' ἀμαυρόν, ἐν δ' ἀΐ-
στοις τελέθοντος οὔτις ἀλ-
κά.

Cor mihi vaticinatur me aliquid caliginosi auditurum esse. Nam magnae caedis dii non sunt incuriosi et horrendae Furiae aliquando eum, qui iure laeso potentiam et divitias adeptus est, ad ultimam redigunt miseriam et ex priore fortuna nihil relinquunt.

Nemo dubitare potest, quin animantes rationisque compotes deae sint, quin ab hominibus nefarie (ἄνευ δίκας) interemptis incitentur, quin nocentem prorsus pessumdent sua agentes ratione.

Vs. 650. Nuntio rerum secundarum non calamitatis mentio facienda est; id eum decet, qui magnam cladem, urbem captam vel tale quidpiam nuntiet:

τοιῶνδε μέντοι πημάτων σεσαγμένον
πρέπει λέγειν παιᾶνα τόνδε Ἐρινύων.

Supra, cum locum e fabula „Septem adversus Thebas" tractarem, quid vocem „ὕμνος Ἐρινύων" significare putarem, exposui; addo nunc, παιᾶνα Ἐρινύων mihi videri eandem habere significationem, scilicet: carmen, quale Furiae canant, quali gaudeant, quali ad se ipsas instigandas utantur. Sic etiam Sept. 633 παιᾶνα edere dicitur is, qui aliorum futura morte et miseria gaudeat.

Vs. 748. De Helena dicitur:

δύσεδρος καὶ δυσόμιλος
συμένα Πριαμίδαισιν,
πομπᾷ Διὸς ξενίου
νυμφόκλαυτος Ἐρινύς.

Qui locus ad vocabuli vim ipsarumve dearum potestatem intellegendam aut ad nostram de diis quaestionem promovendam οὐδὲ

στριβιλικίγξ prodest propterea, quod poëta quasi in comparatione verbo utitur, mortalemque mulierem perniciosam comparat cum saevis ex inferis diis, quo clarius, quam perniciosa fuerit, appareat. Satis apte conferri posse mihi videtur illud ex Novo Testamento: *ὁ δὲ στραφεὶς εἶπε τῷ Πέτρῳ: Ὕπαγε ὀπίσω μου Σατανᾶ· σκάνδαλόν μου εἶ.* Neque enim quid Furiis Athenienses neque quid *Σατανᾷ* Iudaei vel Christiani attribuerint, ex talibus locis cognoscitur.

Sequitur vs. 981, ubi nihil novi invenitur.

Quod numeri pluralis et singularis, quos promiscue usurpari supra contendi, re vera sine ullo discrimine a poëta adhibentur, ex sequenti nobis apparet loco, ubi, postquam Cassandra instinctu divino incitata se plures videre Furias dixit, chorus, quamnam Furiam clamet, vatem rogat (vs. 1104): *ΚΑΣΣΑΝΔΡΑ.*

ἦ δίκτυον τι τιαίνει
δάμαρ κυσὶ ξύνευνος ἁ ξυναιτία
Ἅιδου; στάσις δ' ἀκόρετος γένει
κατολολυξάτω
θύματος λευσίμου.

ΧΟΡΟΣ.

ποίαν Ἐρινὺν τήνδε δώμασιν κέλῃ
ἐπορθιάζειν;

Paullo post idem sed aliquanto clarius Cassandra declarat (vs. 1185):

τὴν γὰρ στέγην τήνδ' οὔποτ' ἐκλείπει χορὸς
σύμφθογγος οὐκ εὔφωνος. οὐ γὰρ εὖ λέγει.
καὶ μὴν πεπωκώς γ', ὡς θρασύνεσθαι πλέον,
βρότειον αἷμα κῶμος ἐν δόμοις μένει,
δύσπεμπτος ἔξω, συγγόνων Ἐρινύων.

Ambobus locis deae sunt animantes, quae non superorum iussu sed secundum suam ipsarum naturam ultionem petunt et partim pro Iphigenia partim pro Thyeste poenas sumentes punire student Agamemnonem. Facinore enim adversus Thyestem admisso totum genus regium commaculatum est, caede vero filiae nefaria Agamemnon ipse Furias irritavit. Itaque non mirari debemus, quod modo haec modo illa causa profertur. Recte et Aegisthus iudicat, qui ob fratres suos ab Atreo interfectos (vs. 1583—1604) [1] et Clytaemnestra, quae ob Iphigeniam ab Agamemnone mactatam Furiis

[1]) Eandem causam Clytaemnestra profert vs. 1501 sqq.

regem poenas luisse opinatur; sed illa primaria fuit causa, haec secundaria [1]). Clytaemnestrae verba sunt vs. 1434 sq.:

μὰ τὴν τέλειον τῆς ἐμῆς παιδὸς Δίκην
Ἄτην τ' Ἐρινύν θ', αἷσι τόνδ' ἔσφαξ' ἐγώ.

Aegisthi vero vs. 1580 sq.:

ἰδὼν ὑφαντοῖς ἐν πάγαις Ἐρινύων
τὸν ἄνδρα τόνδε κείμενον φίλως ἐμοί.

Posteriorem autem locum accuratius explicare operae videtur pretium, cum apud editores Wecklein et Nauck nullo addito verbo versum 1580 Agamemnonis et versum 1052 Trachiniarum inter se comparatos videam.

Aegisthus, qui se inimicum suum videre ἐν πάγαις Ἐρινύων gloriatur, statim addit patris illum poenam luere et postea (vs. 1611) idem aliis verbis dicens Agamemnonem τῆς Δίκης ἐν ἕρκεσιν se videre declarat. Πάγαι igitur ὑφαμμέναι εἰσὶν ὑπὸ τῶν Ἐρινύων, uti divinae iustitiae satis fieret nocensque domus puniretur, et illis in retibus qui captus est, olim commaculatus nunc poenas persolvit. In Trachiniis plane aliter rem sese habere postea videbimus, nunc satis est statuere illic quoque omnia cum nostra definitione congruere.

Iam ad secundam Orestiae fabulam pervenimus, quae Χοηφόροι inscribitur. Inde nihil novi de diis nostris proferri potest. Versum 282 statim praetermitto, quoniam a versu 274 usque ad versum 296 omnia procul dubio spuria sunt; sequitur versus 399, ubi mutatis vocabulis „λοιγὸν Ἐρινύς" in „λοιγὸς Ἐρινύν", ut Schützius proposuit, omnia recte sese habent; chorus canit:

ἀλλὰ νόμος μὲν φονίας σταγόνας
χυμένας ἐς πέδον ἄλλο προσαιτεῖν
αἷμα. βοᾷ γὰρ λοιγὸς Ἐρινὺν
παρὰ τῶν πρότερον φθιμένων ἄτην
ἑτέραν ἐπάγουσαν ἐπ'. ἄτῃ.

Nex vel potius homo necatus Furiam vocat, quae ut priorem ulciscatur, novam caedem committendam curat.

In proximis commentatori „ἀνειδωλοποιεῖ τὰς ἀράς" adnotanti assentiarne necne anceps haereo; sane conferri possunt versus 688 et seqq., ubi sine dubio poëta ἀνειδωλοποιεῖ τὴν ἀράν, sed numerus

---

[1]) cf. Pag. 49.

pluralis „ἀραί“ et „τεθυμένων“ ad dubitandum provocat. Concedere equidem libenter volo poëtam saepe numerum pluralem, ubi de uno loquatur homine, ponere, ut magis communis videatur sententia, sed tamen hoc loco potius — quamquam minime certa res videtur — Ἀράς idem ac Ἐρινῦς indicare putem. Orestes haec canit:

πόποι δᾶ, νερτέρων τυραννίδες,
ἴδετε, πολυκρατεῖς Ἀραὶ τεθυμένων,
ἴδεσθ' Ἀτρειδᾶν τὰ λοίπ' ἀμηχάνως
ἔχοντα καὶ δωμάτων
ἄτιμα.

Vocem vero Ἀράς nonnullis locis idem valere ac Ἐρινῦς discere possumus ex Eum. 420:

Ἀραὶ δ' ἐν οἴκοις γῆς ὕπαι κεκλήμεθα,

et ex Sept. 943:

τελευτᾷ δ'
αἵδ' ἐπηλάλαξαν
Ἀραὶ τὸν ὀξὺν νόμον,

et genitivus τεθυμένων eadem ratione explicari potest, qua Ἐρινὺς πατρός, μητρός, παιδῶν, τέκνων; haec enim significant Furiam, quae pro patre, matre, liberis interemptis poenas sumit a parricida. Huiusmodi igitur genitivi, nisi fallor, hoc modo explicandi sunt. Primum ἐρινύς fere idem erat ac ἀρά, exsecratio; pedetentim tamen vocabulum aliam vim nactum est, ita ut vox „ἐρινὺς πατρός,“ quae antea „patris exsecrationem“ significasset, postea deam indicaret, quae patrem secundum eius exsecrationem ulcisceret; vocis vis mutata est, constructio tamen immutata remansit.

Quod quo modo fieri potuerit, tribus generibus locorum, in quibus vocabulum Ἐρινύες occurrit, inter se comparatis facile intellegitur.

Primum genus. Apud Hesiodum legimus (Theog. 472):

ὅπως .... (Κρόνος) .... τίσαιτο δ' ἐρινῦς πατρὸς ἑοῖο ....

apud Homerum Minerva adversus Martem gloriatur (Φ 412):

οὕτω κεν σῆς μητρὸς ἐρινύας ἐξαποτίνοις.

De diis rationis compotibus poëtae nondum cogitant, sed vocabulo, quod odium vel exsecrationem significat, nomen eius, qui odium concepit vel imprecationem edidit, in genitivo adiungunt.

Secundum genus. Apud Pausaniam legimus lib. IX cap. 5 § 15: *τῶν δὲ Ἐρινύων τῶν Λαΐου καὶ Οἰδίποδος Τισαμενῷ μὲν οὐκ ἐγένετο μήνιμα.*

et lib. XIII cap. 34 § 4: τῷ 'Ορέστῃ γενέσθαι φασὶν ὑπὸ 'Ερινύων τῶν Κλυταιμνήστρας τὴν κρίσιν.

Herodotus scribit lib. IV cap. 149: (Σπαρτιᾶται) ἱδρύσαντο ἐκ θεοπροπίου 'Ερινύων τῶν Λαΐου τε καὶ Οἰδιπόδεω ἱρόν.

Quibus locis non de Furiarum collegio aliquo vel sodalitate sermo fit, sed de deabus, quae, post maleficium quoddam natae, animantes et rationis compotes factae sunt et postquam in homine sibi devoto potestatem ostenderunt, munere fungi pergunt.

Tertium genus. Apud Homerum Ulyxes exclamat (ϱ 475):

ἀλλ' εἴ που πτωχῶν γε θεοὶ καὶ 'Ερινύες εἰσί,
Ἀντίνοον πρὸ γάμοιο τέλος θανάτοιο κιχείη.

et de Oedipode dicitur (λ 279):

τῷ δ' ἄλγεα κάλλιπ' ὀπίσσω
πολλὰ μάλ', ὅσσα τε μητρὸς 'Ερινύες ἐκτελέουσιν.

Postremis locis Furiis nonnullis certa, definita, ab ceteris separata provincia data est, nondum unum collegium constitutum est, sed iam deae finguntur animantes, suo consilio utentes, quarum origo non memoratur.

His tribus generibus **quartum** addamus, quo cuncti loci Aeschylei et reliqui epicorum sunt referendi. Ibi Furiae in collegium quoddam coniunctae finguntur; virum autem commaculatum aut omnes aut nonnullae aut una pessumdat; omnes immortalitate fruuntur neque ex hominum sceleribus novae nascuntur, quae priorem numerum adaugeant.

Videmus vocabulum, quod prius imprecationem indicasset, postea deae sensu adhibitum esse, genitivi autem constructionem, cum vocis significatio sensim mutaretur, eandem mansisse. [1]) Itaque miror, quod vir doctissimus Robert, in Prelleri de Mythologia Graeca editione novissima, pag. 839 cum. adn. sec. et adn. pr. pag. 837, suspicatur initio tres fuisse Furias, Aeschylum autem hunc numerum auxisse, ut integer ex iis fieri posset chorus; quam suspicionem cum ea, quam supra attuli, non posse sociari nemo, opinor, negabit.

Confirmatur autem, nisi fallor, suspicio mea hoc quoque argumento non ex lingua sed ex ipsarum Dirarum natura petito. Furiae

---

[1]) Fere idem voci „προστρόπαιος" accidisse iure Erwin Rohde mihi contendere videtur. Psyche Seelencult und Unsterblichkeitsglaube der Griechen 1894, pag. 241.

apud Aeschylum nonnunquam Ἀραί (Exsecrationes) vocantur easque exsecratione demum audita poenas sumere poëta dicit; deae autem si somno vincuntur, umbra feminae impie necatae expergefieri eas fingit. Itaque Furiae Aeschylo iudice artissime cum hominum ira et exsecratione cohaerent. Quod etiam apud ceteros poëtas crebro fieri legimus; Dirae enim fere ubique cum hominum ira et hominum imprecationibus coniunguntur et quasi illarum imprecationum prosopopoeiae videntur. [1]) Quibus ex prosopopoeiis postea deas factas esse post ea, quae dixi, non temere suspicari mihi videor. Sed iam nimis multa de Furiarum origine disputavi, ad fabulam *Χοηφόρους* redeundum est.

Vs. 575. Orestes Aegisthum, si sibi domum intranti obviam ibit, statim interempturus est,

φόνου δ' Ἐρινὺς οὐχ ὑπεσπανισμένη
ἄκρατον αἷμα πίεται τρίτην πόσιν.

et chorus canit (vs. 643):

Δίκας δ' ἐρείδεται πυθμήν·
προχαλκεύει δ' Αἶσα φασγανουργός.
τέκνον δ' ἐπεισφέρει δόμοις
αἱμάτων παλαιτέρων
τίνειν μύσος
χρόνῳ κλυτὰ βυσσόφρων Ἐρινύς.

Utroque loco idem ac alibi Furiae tribuitur, et etiam posteriore, quamvis in allegoria, ipsa agens suumque ipsius consilium exsequens fingitur. *Δίκη* autem, quacum hic Furia coniungitur, apud Aeschylum permultis locis adhuc dea est, *ἡ Διὸς παῖς παρθένος Δίκη* appellata (vid. in primis Sept. adv. Th. 646—672). Apud Sophoclem contra alio sensu fere ubique hoc nomen adhiberi postea videbimus.

Ceteris iam locis tractatis nunc, quo modo Orestem deae persequantur et qua ratione placentur, paucis exponendum est.

Vix matrem Clytaemnestram trucidavit, cum mulieres horrendae Oresti visae sunt in ipsum irruentes (Choeph. 1046):

---

[1]) Recte Stoll-Mehler observat (Handboek der Gr. en Rom. Godsdienstleer en Mythologie, pag. 165): „Zij zijn de personificatie van het gevoel van grievende krenking en smartelijk misnoegen, opgewekt door de moedwillige vertreding van heilige rechten."

δειναὶ γυναῖκες αἵδε, Γοργόνων δίκην
φαιοχίτωνες καὶ πεπλεκτανημέναι
πυκνοῖς δράκουσιν,

quas unus Orestes aspicit, quapropter iterum chori virginibus asseverat:

οὐκ εἰσὶ δόξαι τῶνδε πημάτων ἐμοί·
σαφῶς γὰρ αἵδε μητρὸς ἔγκοτοι κύνες.

Mox e scena abit, ut effugiat deas, quas neque virgines neque spectatores aspiciunt [1]). In sequenti vero fabula deas Orestem Delphis persequentes nostris ipsorum oculis videmus — Orestem supplicis ornatu, deas Harpyis similes nisi quod alas non habent (Eum. 40—45 et 47—55). Ignoscere non possunt, praedam e manibus dimittere nolunt, et cum paullisper Apollinis opera somno vincuntur, statim a matre nefarie, ut aiunt, necata ad parricidam persequendum impelluntur (118—143). Si quando praeda evasit, ut canes venatici eius vestigia sequuntur et ubi invenerunt, hymnum suum, ut omnem sensum fiduciamque misero demant, cantare instituunt (305—400).

Quo modo Orestes liberatur? — Unusne e superis Diras diutius eum persequi vetat? — Non ita, nam non aliis oboediunt numinibus sed suis auspiciis et suo marte poenas exigunt, scelus vindicant; itaque Minerva et Apollo, qui Orestem adiuvant et liberare student, non potestatem suam Furiis opponunt, neque a Iove ita mandatum esse declarant; immo vero tum demum, cum Furiae ipsae, ut iure ageretur, assensae sunt, iudicium committitur, in quo Orestes a dis superis defenditur, a dis inferis accusatur. Absoluto autem reo Dirae frustra se vixisse et vivere hominisque iniuste absoluti se nunquam oblituras esse exclamant, sed mitigantur Minervae prudenti oratione, quae iis persuadet, ne per Atticam succensentes et calamitates afferentes circumvagentur, verum placatae, ut deae *δημοῦχοι*, ibi considant. In tertia hac fabula Furiae quamquam non ipsae litem decernunt, verum id aliis concedunt, non tamen coactae sed Minervam sapientiae deam iustam aequamque fore ratae id, quod suum est, aliis permittunt; neque postquam litem perdiderunt, suae ipsarum potestati diffisae, sed eiusdem Minervae consilio permotae ira desis-

---

[1]) Nonnulli viri docti cum ab Oreste tum a spectatoribus conspici Furias, quas chorus solus videre non possit, arbitrantur; utrum iure an iniuria, decernere non audeo, sed utique me iudice Orestes Aeschyleus ipsas videt deas neque ut Euripideus deas, quae non adsunt, cernere se credit.

tunt. Ne multis morer, non superorum iussu agunt Furiae ut agunt, sed ad suum arbitrium munere suo funguntur.

Itaque quamvis cum poëta, qui non certam tradit doctrinam, rem nobis esse, non sit obliviscendum, non temere me initio contendisse et nunc repetere puto:

Furias habitare apud inferos, nihil cum superis commune habere, stimulari a mortuis, poenas exigere ad suum arbitrium, deas animantes atque rationis compotes semper et ubique esse in fabulis poëtae Aeschyli.

DE FURIIS SOPHOCLEIS.

Iam qua ratione Sophocles sibi Furias informaverit, quid inter eius et Aeschyli opiniones notionesque intersit, monstraturus primo nonnullos afferam locos, ubi nemo, quin vocis *'Ερινύος* prorsus alia apud poëtam nostrum sit vis atque potestas, dubitare possit.

In Trachiniis Hercules dum acribus cruciatur doloribus mortem non longe abesse sentiens palliumque, quod uxor Deianira sine fraude vel malo consilio ei miserat, mortis causam fore intellegens vitam suam conqueritur laboriosam et periculosam, in qua tamen nunquam Iovis uxor vel rex Eurystheus sibi tale quicquam imposuerit

οἷον τόδ' ἡ δολῶπις Οἰνέως κόρη
καθῆψεν ὤμοις τοῖς ἐμοῖς ἐρινύων
ὑφαντὸν ἀμφίβληστρον, ᾧ διόλλυμαι. (Trach. 1050).

Verba sunt eadem, quae apud Aeschylum (Agam. 1580) Aegisthus dicit; etiamne sensus? — Non est, quod rogemus. Longe abest, ut Hercules contendat se debitam luere poenam, ob caedem quandam olim commissam nunc puniri, Furiis esse devotum, quae a mortuo quopiam nefarie interempto ad vindicandum invocatae sint. Si quis contendit Nessum muneris missi esse auctorem, illumque per Furias ultionem petere, recordetur id Herculi nondum notum esse (cf. 1140 sqq.), Nessi autem ab Hercule non sine iusta causa occisi mortem Furiis non esse vindicandam. Non iustitiae dearumve severam sed iustam poenam exigentium adiutricem Hercules vocat Deianiram — longe alia eius est mens et animi status — sed sine causa crudeliter et immaniter in se grassatam esse credit. Si „*ἐρινύων ἀμφίβληστρον*" in ore Herculis idem esset, quod „*πάγαι 'Ερινύων*" in ore Aegisthi, non uxorem verum se ipsum accusaret;

sed Aegisthus inimicum iure et merito necatum, Hercules sibi ipsi nefario et impio Deianirae dolo mortem illatam esse arbitratur. Quid multa? — Ἐρινύων ἀμφίβληστρον non rete est, quod divina iustitia vel deae divinam iustitiam curantes texuerunt, sed instrumentum impietatis calamitosum et nefarium.

Manifestius etiam, si fieri potest, alio eiusdem fabulae loco apparet non ubique apud Sophoclem ἐρινύν esse deam, non semper esse nomen proprium sed interdum appellativum. Nutrix domo egrediens Deianiram doni sui vi letifera comperta, manus sibi intulisse refert; quo tristi audito nuntio chorus, Iolam unam omnium malorum causam exstitisse ratus, exclamat (vs. 893):

ἔτεκεν, ἔτεκεν μεγάλαν
ἁ νέορτος ἅδε νύμφα
δόμοις τοῖσδ' ἐρινύν.

Deam neque „nasci" neque „magnam" chorus dicere potuisset, sed „irritandi" vel „invocandi" verbum, si de dea quadam loqueretur, usurpasset, „pestiferam" vel „ultionis appetentem" eam vocasset. Ergo μεγάλα ἐρινύς fere idem est ac μεγάλα βλάβα, quam ne eadem Iola Herculis domui afferret, Deianira metuisse dicitur (vs. 842):

μεγάλαν προορῶσα δόμοις βλάβαν
νέων ἀΐσσουσαν γάμων,

neque quidquam inter eas voces interest, nisi quod hoc e sermone cotidiano sumptum, illud poëtis proprium est.

Itaque neminem latere potest Sophoclem non claram accurateque delineatam imaginem mente sibi informasse. Poëtae, cui nomen, quo dea indicatur et vocabulum „noxa" idem fere valeant [1]), dea mortua est vel potius ipsa deae persona evanuit, vis tantum superest. Sed priusquam argumentationem nostram concludamus, ceteri Sophoclis loci, qui ad rem faciunt, afferendi sunt omnes.

Duobus tantum locis Furiis Aeschyleis similes reperiuntur Sophocleae. Quorum alter in fabularum superstitum antiquissima, Aiace, legitur, alter in fragmento fabulae easdem res tractantis, fortasse igitur eodem fere tempore scriptae. Ai. 835:

καλῶ δ' ἀρωγοὺς τὰς ἀεί τε παρθένους
ἀεί θ' ὁρώσας πάντα τὰν βροτοῖς πάθη

---

[1]) Trach. 895 × Trach. 842. Antig. 1075 × Antig. 1104.

σεμνὰς ἐρινῦς τανύποδας, μαθεῖν ἐμὲ
πρὸς τῶν Ἀτρειδῶν ὡς διόλλυμαι τάλας.
ἴτ', ὦ ταχεῖαι ποίνιμοί τ' ἐρινύες,
γεύεσθε, μὴ φείδεσθε, πανδήμου στρατοῦ.

Fragm. 508:

ὡς ἄρ', ὦ τέκνον, κενὴν
ἐτερπόμην σου τέρψιν εὐλογουμένου,
ὡς ζῶντος· ἡ δ' ἄρ' ἐν σκότῳ λαθοῦσά με
ἔσαιν' Ἐρινὺς ἡδοναῖς ἐψευσμένον.

Locis autem allatis non ita distincte potestas et vis Furiarum describitur, ut certum quiddam inde concludere nobis liceat. Aiax earum implorat auxilium, ut Atridas merita afficiant poena, et mater Aiacis a Furia se deceptam esse conqueritur, itaque quin deae his locis dicantur, non est dubitandum; sed quam ob rem mater eas filium aggressas esse credat nescimus, Aiax autem non caedem sed tantummodo fraudem Atridis obiicere potest.

Quid vero deae perficiant, utrum Aiaci morem gerant necne, potestatemne habeant vindicandi, his de rebus nihil audimus; nil igitur uterque locus arguit nisi interdum apud Sophoclem Furias deas invocari.

Duobus illis locis tertius ex eadem fabula addendus videtur, ubi Teucer fratris mortem deplorans exclamat (vs. 1034):

ἆρ' οὐκ ἐρινὺς τοῦτ' ἐχάλκευσεν ξίφος
κἀκεῖνον Ἅιδης δημιουργὸς ἄγριος;

Deam hic a poëta fingi Furiam equidem non infitior; at quantopere haec dea Sophoclea distat ab Aeschyleis! Numen enim perniciosum, non iustitiae ministram gladium fabricatam esse Teucer contendit, neque ut Aiax suas lueret poenas, Furia Teucro iudice perfecit, verum ut miser frater, quamvis non esset meritus, summa clade afficeretur. Similia autem supra ad Trach. 1050 annotavi, quapropter nunc non pluribus verbis opus esse mihi videtur; cum illic tum hic vocabulum ἐρινύς non antiquo sensu adhibetur deae secundum severam iustitiam punientis, sed ad numen quoddam horrendum significandum usurpatur, cuius ethica vis nullius est momenti.

Saepius una cum superis commemorantur et cum iis coniunctae scelus vindicare finguntur.

O. R. 469 sqq. ἔνοπλος γὰρ ἐπ' αὐτὸν ἐπενθρῴσκει
πυρὶ καὶ στεροπαῖς ὁ Διὸς γενέτας·

δειναὶ δ' ἅμ' ἕπονται
κῆρες ἀναπλάκητοι.

Ant. 1104 sq.

συντέμνουσι γὰρ
θεῶν ποδώκεις τοὺς κακόφρονας βλάβαι. [1]).

Quibus locis statim adiungendi sunt ii, ubi Ἐρινύες θεῶν παῖδες vel θεῶν Ἐρινύες legimus.

In Antigona Tiresias Creonti minatur (vs. 1074):

τούτων σε λωβητῆρες ὑστεροφθόροι
λοχῶσιν Ἅιδου καὶ θεῶν Ἐρινύες,

et Electra hac querela cotidiana deos invocat (vs. 110):

ὦ δῶμ' Ἅιδου καὶ Περσεφόνης,
ὦ χθόνι' Ἑρμῆ καὶ πότνι' ἀρά,
σεμναί τε θεῶν παῖδες Ἐρινύες,
αἳ τοὺς ἀδίκως θνήσκοντας ὁρᾶθ',
αἳ τοὺς εὐνὰς ὑποκλεπτομένους,
ἔλθετ' ἀρήξατε, κτἑ.

Versum 114 Porson delet, quia, ut ait, non Furiarum est adulterium punire. Sane non est apud Aeschylum, apud quem ne uxorem quidem, quae propter suum adulterium maritum interemit, persequuntur (vid. Aesch. Eum. 210 sqq. et 608 sqq.); sed de Sophocle non valet idem, qui quin versum, de quo agimus, scripserit non dubito. Ad suspicionem Porsoni refellendam a Nauckio affertur versus 97, cui, ne dubium relinquatur, addi possunt vs. 493 sqq.:

ἥξει .... ἐρινύς.
ἄλεκτρ' ἄνυμφα γὰρ ἐπέβα μιαιφόνων
γάμων ἁμιλλήμαθ' οἷσιν οὐ θέμις,

ubi Furiae propter adulterium venturae esse a choro aperte et manifeste dicuntur, et vs. 275 sq.:

ἡ δ' ὧδε τλήμων ὥστε τῷ μιάστορι
ξύνεστ', ἐρινὺν οὔτιν' ἐκφοβουμένη,

ubi Clytaemnestra tam audax dicitur, ut ne metu quidem vindictae deorum, quominus Aegistho se dedat, impediatur. Furiae igitur, quae, ut fraudem ulciscantur, ab Aiace invocantur, hic adulterium quoque punire finguntur. Huc usque tamen Furias veras deas habere

[1]) Vocabulum „βλάβαι" fere idem significare quod Ἐρινύες neminem, qui versum, quem exscripsi, cum versu 1073 comparet, latere potest.

possumus. Quamquam si cum superis coniunguntur, si Iovem vel Apollinem in hominibus puniendis adiuvare dicuntur, non iam horrenda illa numina tenebrarum commemorantur, quae suis auspiciis omnes nocentes persequantur; sed de antiquis deis iam aliquid detractum, vocabulo iam nova vis data est. Deae inferae ex regno Plutonis in lucem prolatae cum lucis diis consociatae sunt, quod cum factum est, periculum est ne solis radiis ambustae vitam amittant, ne nomen earum usurpari possit ad poenam vel calamitatem significandam ipsa dea contempta neglectave. Sophocles enim aliorum quoque deorum nomina non ad numina indicanda, sed ipsorum deorum oblitus ad notiones significandas adhibet. Idem Furiis accidit; earum quoque nomina plerumque non deas indicant, sed ea, quae hominibus contingunt quaeve homines sentiunt. Ita in locum vocabuli „*ἐρινύς*" interdum sine significationis mutatione succedere videmus vocabulum *βλάβη* itaque nomen „*ἐρινύς*" saepe coniungi videmus cum nomine *δίκη*, quod apud Aeschylum veram deam indicare solet, apud Sophoclem compluribus locis iustitiae habet significationem. Videamus locos huc facientes.

Teucer Ulyxi gratias agens, quod mortuorum ius adversus Agamemnonem defendat, ut Atridis pro meritis dii gratiam referant, his orat versibus (Ai. 1390):

τοιγάρ σφ' Ὀλύμπου τοῦδ' ὁ πρεσβεύων πατὴρ
μνήμων τ' ἐρινὺς καὶ τελεσφόρος δίκη
κακοὺς κακῶς φθείρειαν.

et Hyllus matrem, quam consulto mortiferum pallium marito suo misisse putat, sic alloquitur (Trach. 808):

τοιαῦτα, μῆτερ, πατρὶ βουλεύσασ' ἐμῷ
καὶ δρῶσ' ἐλήφθης, ὧν σε ποίνιμος δίκη
τίσαιτ' ἐρινύς τ'.

Ubi adiectivum *τελεσφόρος* docet non *Δίκην* esse scribendum sed *δίκην* nilque aliud vocabulum indicare nisi divinam iustitiam; verum, ne quis dubitet, alios, ubi idem vocabuli est usus, locos addere mihi liceat.

In Oedipode Coloneo Polynici monenti misericordiae a Iove in ipso solio suo locum esse permissum (vs. 1267):

ἀλλ' ἔστι γὰρ καὶ Ζηνὶ σύνθακος θρόνων
αἰδώς,

id est, si idem sine imagine dicitur, misericordem se Iovem homi-

nibus praebere, pater iratus respondet nihil ei nisi malum expectandum esse (vs. 1382):

εἴπερ ἔστιν ἡ παλαίφατος
δίκη, ξυνέδρος Ζηνὸς ἀρχαίοις θρόνοις [1]).

Hic non magis quam *αἰδώς* (vs. 1267) dea est *δίκη* neque plures deas in summi dei solio sedere, sed Iovem semper iustitiam servare Oedipus contendit. Non recte igitur Dindorfius scribit *Δίκην*.

Simillima observari possunt de Antig. vs. 538, ubi iustitiam obstare, quominus Ismena fratris sepulti se consciam esse glorietur, Antigona contendit:

ἀλλ' οὐκ ἐάσει τοῦτό γ' ἡ δίκη σε,

nec non de El. vs. 475, ubi chorus laetus exclamat:

εἶσιν ἡ (πρόμαντις)
δίκα, δίκαια φερομένα χεροῖν κράτη.

non enim Dice dea manibus quiddam portans adventura esse hic fingitur, sed divina iustitia aequam afferens victoriam. Si quis propter vocabulum *χεροῖν* dubitat, recordetur *Νίκην* manibus ferri posse, non posse *δίκαια κράτη*, et legat primos versus *τῆς ἀντιστροφῆς*, in quibus chorus non de dea Furia, sed de vindicta sperata canit. Tum, opinor, mihi assentietur non deas hic potius, verum notiones, iustitiam divinam et victoriam violentam, poëtae ante oculos versari.

Sunt sane in Sophoclis fabulis duo loci (Ant. 451, O. R. 274), ubi deam potius videri Dicen quam nihil nisi iustitiam significare concedo, sed ibi non tam homo Sophocles, qui deam esse credat, loquitur quam poëta, novam significationem antiquae voci tribuens; de quo more mox plura.

Prorsus nihil cum diis commune habet *ἐρινύς* El. 491:

ἥξει καὶ πολύπους καὶ πολύχειρ ἁ
δεινοῖς κρυπτομένα λόχοις
χαλκόπους ἐρινύς.

Illucescet dies ultionis et fatalis necessitas de improviso ex insidiis erumpens multorum vi et armis scelus vindicabit.

ἐρινὺς πολύπους καὶ πολύχειρ imago est et translatio, qua chorus se Orestem cum multis sociis expectare indicat. Quod autem ad vocabulum *χαλκόπους* in hac imagine usurpatum attinet, apte conferri

---

[1]) Lectio tradita *νόμοις*, Bergk *θρόνοις*.

posse mihi videtur adiectivum δεινόπους eadem ratione adhibitum O. R. 417:

καί σ' ἀμφιπλὴξ μητρός τε καὶ τοῦ σοῦ πατρὸς
ἐλᾷ ποτ' ἐκ γῆς τῆσδε δεινόπους ἀρά,

ubi ἀράν exsecrationem significare nemini dubium videbitur. Et hic idem habemus, quod supra dixi: scilicet antiquam vocem novo adhiberi sensu. Aeschylus Ἀράν vel 'Ερινύν, cui vitam et animum tribuit, δεινόπουν vel ποδώκη aptissime vocare potest: Sophocles quam huiusmodi epithetis vim tribuerit, agnoscere nequimus, nisi eum saepissime nomina et verba immutare recordamur.

Neque ipsa Electra deam cogitat Furiam, cum matrem, quominus cum Aegistho consuescat, conscientia non impediri his dicit verbis (El. 275):

ἡ δ' ὧδε τλήμων ὥστε τῷ μιάστορι
ξύνεστ', ἐρινὺν οὔτιν' ἐκφοβουμένη,

ubi pronomen οὔτιν' de dea fieri mentionem credere vetat.

In fabula Antigona chorus canit (Ant. 601):

κατ' αὖ νιν φοινία θεῶν τῶν
νερτέρων ἀμᾷ κοπὶς
λόγου τ' ἄνοια καὶ φρενῶν ἐρινύς,

de quo loco non multis opus est verbis; „φρενῶν ἐρινύς" animi statum ex ipsa natura ortum, non aliunde allatum indicare neque ego primus contendo neque qua ratione negari possit video. Trachiniarum vs. 893 et 1050 hic commemorandi essent, nisi eos locos supra iam tractavissem [1]. Nunc tantummodo observo et illic ἐρινύν ut nomen appellativum adhiberi.

Duos praeterea locos cum attulero, de omnibus, ubi apud Sophoclem Furiarum fit mentio, erit dictum; similia autem de his quoque sunt dicenda.

El. 1080 Electra mortem parvi facere dicitur

διδύμαν ἑλοῦσ' ἐρινύν,

d u m m o d o a m b o s i n i m i c o s o p p r i m a t (dubito idne verbis Graecis exprimatur, sed quid aliud significent non video neque habeo correctionem).

El. 1386 postquam domum regiam Orestes intravit, chorus canit:

---

[1]) pag. 62 et 63.

βεβᾶσιν ἄρτι δωμάτων ὑπόστεγοι
μετάδρομοι κακῶν πανουργημάτων
ἄφυκτοι κύνες.

Domum intrarunt canes, flagitiorum ultores, quos nemo vitare potest vel effugere.

Et hic et illic imagine utitur poëta; illic cum Furiis duo homines comparantur, hic Mars, Mercurius, Furiae ad domum regiam accedere finguntur. Non igitur poëta, qui haec scripsit, deas esse crederet necesse erat, sed nihil obstat, quominus statuamus poëtam antiquis notionibus recentem significationem tribuisse neque ipsum iis fidem habentem neque spectatores habere fingentem.

Fortasse interpellabit quispiam: „Tune poëtam de diis, quae secundum ipsius sententiam non sint, loqui credis? Tune Sophoclem aliam vim verbis, quam habeant, tribuere insimulas? Tune poëtam non veri esse amantem arguis? —" Nihil insimulo, nihil arguo neque poëta mea opinione, si, quod dixi, verum sit, secus fecerit ac nos et omnes semper facere solent.

Nam nunquam verborum stat honos et gratia vivax; multa, quae nunc sunt in honore vocabula, cras obsoleta erunt, multorum significatio mutatur, non pauca sunt verba, quae aliud alii aetati hominum indicare videntur. Sophocles et Aeschylus non magno quidem aetatis spatio inter se distant, sed in eo vixerunt saeculo, in quo singulis annis plura mutabantur, quam antea per tota decennia [1]). Religio antiqua, quae initio saeculi florebat, de qua nemo dubitabat, post bellum Peloponnesiacum cum apud vulgus tum apud poëtas et philosophos multo minoris fiebat. Temporibus, quibus populi omnes opiniones et notiones de diis deque tota religione mutantur, vocabula ad numina pertinentia breve post intervallum alio adhiberi sensu non est mirandum, et semper poëtae, qui magis operum suorum pulchritudini, quam subtilitati et perspicuitati studerent, antiquas informationes in imaginibus usurparunt. Sic apud poëtas nostros legimus: „aan Bacchus offeren", „der Muzen bezieling", „Sirenengezang", „Amor's pijlen", „in Morpheus' armen" multaque eiusmodi, licet eos deos revera esse nemo aiat credatve.

---

[1]) „Ein Proces, der anderswo Jahrhunderte brauchte, ist hier in wenige Menschenälter zusammengedrängt". Ed. Zeller Die Philosophie der Griechen II, 1, pag. 2.

Clarius vero res, de qua agimus, illustratur nonnullis ex Testamento Vetere locis [1]), ubi posteri deum invocantes vocibus eum appellant, quae a maioribus iure olim adhibitae cum nepotum informationibus aperte pugnent.

1) Deuteron. X 17 legimus:

Dominus Deus vester ipse est Deus deorum et Dominus dominantium, Deus magnus et potens!

Nil mirum; multos esse deos scriptor non negat, cf. Gen. III 5, III 22, Exod. XII 12, XV 11. Sed psalmorum poëtae ubique unum deum esse credunt et affirmant; nihilominus in Psalmo XXIX legimus:

Afferte Domino, filii **deorum**, afferte Domino gloriam et honorem cf. LXXXIX 7 (deorum filii sunt angeli).

2) Numeri X 35, 36 Mozes dicit:

Surge Domine et.... Revertere Domine,

et suo iure ita dicere potest, quippe qui deum non sine corpore sibi fingat. Verum psalmorum poëtae, qui Ps. III 8. („Exsurge Domine, salvum me fac Deus meus") et sescenties eadem voce de dei corporis motibus utuntur, non idem indicare volunt, quippe qui non deum humanis artubus praeditum sibi informent: illi antiqua informatione imaginis loco utuntur.

3) Item poëta Ps. XV 1 ubi legitur:

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? Aut quis requiescet in monte sancto tuo?

nihil aliud dicere vult nisi: Domine, quis erit in tuo patrocinio? ut ex vs. 5.

qui facit haec non movebitur in aeternum. et Ps. LXXXIV 5, 6, XXVII 4 sqq., LXI 5, LXV 5, patet; poëta ad suam sententiam exprimendam antiqua utitur informatione.

4) In libro Hiob (XXXIII 26) legimus:

Deprecabitur Deum et.... videbit faciem eius in iubilo. cf. Isaias I 12, Ps. XI 7, XVII 15, XLII 3, XLI 13, CII 1, 3, CXL 14, Matth. V 8, sed in nullo eorum locorum de ipso Dei vultu mentio fit. Scriptores ad summam beatitudinem exprimendam in imagine et translatione utuntur voce, quae antiquis in libris suum obtinuerat sensum. Vide Gen. XVI 13, XXX

[1]) Locos affero secundum „vulgatam editionem."

30, Exod. XXIII 15, 17, XXXIV, 23, Deut. XVI, 16, XXI, 11, Num. VI, 25, 26, II Sam. XXI, 2, et multis aliis locis.

5) Exod. XXIII, 15 auctor antiquus scripsit:

non faciem meam videbis vacuus (i. e. sine sacrificiis),

posteri vero, qui deum videri licere negabant, legebant, ut vox deo indigna tolleretur:

non apparebis in conspectu meo vacuus.

(Consonantes eaedem, vocales tantummodo aliae sunt). Idem factum est Exod. XXXIV, 23, Deuter. XVI, 16. Deuter. XXXI, 11, Is. I, 12.

Scilicet: in rebus ad deos pertinentibus homines antiquas voces retinere solent, et imagines usitatas dimittere non amant, sed mutatis opinionibus novam vocibus tribuunt vim alioque sensu eas interpretantur.

Itaque Dirae, quae apud Sophoclem memorantur, nullam in partem cum Aeschyleis congruunt. Hae habitant apud Orcum; illae quamquam interdum cum inferis coniunguntur, eas sedem suam ibi habere nunquam disertis verbis dicitur. Hae nihil cum superis commune habent; illae caelestium sunt adiutrices. Hae poenas exigunt ad suum arbitrium; illae Iovi et Apollini oboediunt. Apud Aeschylum semper deae sunt animantes; apud Sophoclem, ubi earum fit mentio, de veris numinibus poëtam saepe ne cogitare quidem apparet. Apud Aeschylum denique a mortuis stimulantur; apud Sophoclem vivi quoque hominis memorari *ἐρινύν* mox videbimus.

Quantopere vero Sophocles in re, de qua agimus, ab Aeschylo discrepaverit ex hoc quoque intellegere possumus, quod neque Orestem neque Oedipum a Furiis fecit agitatum. Orestes Aeschyleus a Furiis agitatur et necessario debet agitari; timet ante factum, post factum animi capitur furore; a superis patrem ulcisci iussus deas infernas effugere non potest. At idem apud Sophoclem non timet non dubitat non angitur, sine haesitatione consilium exsequitur, nunquam angorem prodit animi. Neque a poëta, qui *δράματι πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι* instituit, Furiarum mentionem ideo omissam esse credere licet, ne tragoedia, cui iam satis amplum esset argumentum, terminos egrederetur; nam talem Sophocles semper sibi elegit materiem, ut ex ea fabula una in se absoluta fieret. Quem ad modum ex toto fine Promethei et e verbis ultimis

ἐσορᾷς μ' ὡς ἔκδικα πάσχω

sine dubio efficere possumus, Aeschylum nondum ad trilogiae, quae dicitur, finem pervenisse sed aliam tragoediam additurum esse, in qua is, qui ἔκδικα πάσχει, praesentem alia mutet condicione, ita ex eo, quod post Clytaemnestrae et Aegisthi caedem Sophocli nihil addendum esse videtur, pro certo statuere possumus, Orestem secundum eum non esse a Furiis multandum; Furias si irritasse Orestes poëtae visus esset, alium fabulae dedisset exitum. Addi potest, quod per totam fabulam vocabulum ἐρινύς nonnisi recentiore sensu usurpatur.

In Oedipum autem quomodo Furiae apud Aeschylum grassatae fuerint, non ex ipsa quidem tragoedia, quae iniuria temporis periit, cognoscere, attamen ex tertia eiusdem trilogiae parte efficere possumus. Nam ut in fabula „Septem adversus Thebas" Furiae filios propter patrem neglectum ad miseriam agunt et mortem, ita patrem in „Oedipode" propter impiam Lai caedem et Iocastae matrimonium incestum et propter nescio quam animi pravitatem ex summa felicitate ad desperatam vitae condicionem redactum esse facile intellegimus. Non deos superos sed Furias Furiasque solas in prima tragoedia id perfecisse ex ultima colligere possumus.

Quanto discrimine hinc distat Oedipus Sophocleus! Qui postquam sortem suam et scelera, quae in vita perpetravit, clare agnovit et oculos sibi effossit, ne quae non essent videnda aspicerent, de Furiis nihil loquitur, verum Apollinem unum auctorem habet, deum illa omnia perfecisse credit:

Ἀπόλλων τάδ' ἦν, Ἀπόλλων, φίλοι,
ὁ κακὰ τελῶν τάδ' ἐμὰ πάθη (vs. 1329).

Apollinis oraculum quae futura essent praedixit, idem quae facta sunt patefecit, neque aliud numen obstitit vel mutavit quae Apollini nota et decreta erant.

Quod non est cur miremur, neque causa latet cur uno tantum loco in „Oedipode Rege" Furiarum earumque cum Apolline coniunctarum mentio fiat. Apud Sophoclem non a multis diis mundus gubernatur, non identidem ipsi praesentes rerum cursum mutant, sed diis reliquis in nubibus et caligine latentibus unus deus optimus maximus orbem administrat terrarum et interdum Apollinis oraculis voluntatem suam et consilium prodit; cetera numina vix ullius sunt momenti, summus ille rector solus vitam regit hominum, quamquam ab hominibus neque aspicitur neque

intellegitur. Aeschylus in duabus ex septem reliquis fabulis (Prometheo et Eumenidibus) in primis superos agentes ostendit, Sophocles vero in scenam fere nunquam deos prodeuntes facit. In antiquissima sane fabula Aiace antiquum morem poëta secutus Minervam producit, sed cum in Philoctete nodus vindice divino est solvendus, non e superis aliquis verum is, qui antea inter homines vixisset, Hercules, eo munere fungitur; item cum in „Oedipode Coloneo" senex e vita abducendus est, non deus conspicitur, sed vox e longinquo auditur.

Non igitur Furiarum praeda, ut nonnulli contendunt, apud Sophoclem fingitur Oedipus rex sed homo deorum superorum voluntate et consilio afflictus et profligatus. Quid chorus in Antigona, cum Labdacidarum calamitates conqueritur? Furiasne ea omnia molitas esse perhibet? — Immo vero, Iuppiter auctor est, Iovis in iis rebus cernitur potestas (vs. 594 sqq.):

ἀρχαῖα τὰ Λαβδακιδᾶν οἴκων δρῶμαι
πήματα φθιμένων ἐπὶ πήμασι πίπτοντ', κτἑ.

Quae excipit hoc canticum:

τίς σάν, Ζεῦ, δύνασιν, τίς ἀν-
δρῶν ὑπερβασία κατάσχοι, κτἑ.

Omnia a dis superis perficiuntur, Furiae potestatem neque habent neque ostendunt.

At in fabula Oedipo Coloneo omnes viri docti, qui hac de re sententiam prodiderunt, poëtam de consulto Oedipum in Furiarum lucum et templum duxisse censent, ut is, quem per totam vitam Furiae persecutae essent, moriens illarum assequeretur gratiam, quaeque antea miseria atque calamitate affecissent virum, nunc seni quietem et famam sempiternam praeberent. Audiamus eorum sententias.

K. Lachmann, Rhein. Mus. I, 317: „Ja offenbar wollte Sophocles solche Zuschauer, die den alten strengen Glauben anhingen, beruhigen: die Göttinnen, denen die Blutschuld zu rächen geziemt hätte, versprechen ihm Herberge und Ruhe, sie müssen also mit ihm ausgesöhnt sein."

K. Lehrs, Populäre Aufsätze 1875, pag. 231: „Der Hain der Erinyen, jener Göttinnen, denen die strenge Strafgerechtigkeit über ihm obgelegen; die also selbst nunmehr mit ihm sich ausgesöhnt."

Th. Bergk, Griechische Litteratur-Geschichte III, 436: „Das Rüh-

rende, welches in dem Stoffe liegt, indem ein von den Erinyen Verfolgter, auf dem der Fluch schwerer Frevel lastet, nach Götterbeschluss zuletzt in dem heiligen Haine der Göttinnen Frieden und Ruhe findet, an der Stätte, die man mit geheimem Grauen betrachtete und ängstlich mied, von seiner Schuld befreit wird, hat der Dichter vortrefflich benutzt," et pag. 435: „In Attika findet der Ausgestossene Aufnahme und, nachdem er im heiligen Bezirk der Eumeniden entsühnt is, seine Grabestätte." Cf. anm. 200.

L. Preller, Griech. Myth. 2e aufl. II, 346: „.... da die Unterirdischen sich versöhnt zeigen ...."

Aug. Nauck in praef. fabulae: „die furchtbaren Vollstreckerinnen göttlicher Strafen, die Erinyen, werden an ihm zu versöhnten Eumeniden."

M. Patin, Études sur les Tragiques Grecs 1865, pag. 218: „Il n'a plus que le sentiment de son malheur avec la conscience de son innocence, et c'est sans doute ce que le poète grec a voulu exprimer allégoriquement en plaçant ses derniers moments sous la garde des Furies."

Paul de Saint Victor, Les Deux Masques 1895, II, 160: „Les Divinités farouches, qui l'habitent ne peuvent l'effrayer; il a fait sa paix avec elles, c'est leur hospitalité, qui l'accueille, leur sein gonflé de haine s'attendrit pour le recevoir." Cf. loci quos excripsi pag. 4 sq.

Pudet sane tot viris in nostra arte summis obloqui; attamen duas ob causas haec opinio reiicienda esse mihi videtur. Quarum altera haec est, quod neque in priore fabula Oedipus a Furiis vexari dicitur usquam, — ut supra vidimus — neque in posteriore ab iis adiuvari satis diserte dicitur, ut mox demonstrare conabor. Deinde vero tota illa sententia a Sophoclis mente aliena est. Nam poëtam, qui Furiarum raro ut numinum ad arbitrium suum agentium mentionem fecerit et plerumque earum plane oblivisci soleat; qui nomen ἐρινύς ita interdum adhibuerit quasi nunquam deam indicasset; qui non Furiarum solum sed omnium deorum potestatem paulatim ad solos Iovem et Apollinem referat, — cur postrema in tragoedia alia ratione de iis locutum esse et novam illis tribuisse potestatem putemus, licet ex ipsius poëtae verbis mutata eius mens demonstrari nequeat? Quodsi in una fabula Oedipode Rege de Furiis tacuisset, in nostra tragoedia deas illas in medium eum proferre

potuisse non negarem; altera enim fabula cum altera non cohaeret; sed in omnibus Sophoclis dramatis parva fingitur Furiarum potestas neque in hoc poëta mirum id videri potest, sed omnino cum reliquis eius congruit notionibus.

Nostra autem in fabula cum non exstent certa indicia, unde efficiamus sortem exulis in Furiarum manu positam esse, tum ex diis superis eius vitam mortemque pendere satis clare audimus. Raptim locos, ubi de Furiis mentio fit, percurramus, et in transitu animadvertamus nusquam in Oedipode Coloneo adhiberi nomen *Ἐρινύς*. Modo *Εὐμενίδες* vel *Πότνιαι* modo *αἵδε αἱ θεαί* vel *δαίμονες* appellantur, quibus nominibus populum Atheniensem eas veneratum esse veri simile est, sed nomen *Ἐρινύες*, quo Aeschylus deas facinorum ultrices, nunquam quiescentes, nunquam odii obliviscentes indicarat, nostro in dramate nusquam occurrit. At iam locos inspiciamus.

Oedipus a Coloni incola edoctus se in luco constitisse Eumenidum, dearum implorat auxilium et ne sibi inmites sint, ne Apollinis decreto adversentur, orat atque precatur (vs. 85—110). Apollo enim eum, si ad *σεμνῶν θεῶν* templum pervenisset, quietem inventurum esse iam pridem vaticinatus est.

Unde quid sequitur? Primusne Sophocles et consulto Oedipum in luco et templo Furiarum mortuum vel potius e vita avocatum esse fecit, an idem ante eum narraverant alii? Fictusne a poëta est Oedipodis exitus an ab antiquis traditus? — Responsum non est difficile: nil novi commentus est Sophocles.

Apud Pausaniam (I, 30, 4) legimus:

δείκνυται δὲ καὶ χῶρος καλούμενος Κολωνὸς ἵππιος, ἔνθα τῆς Ἀττικῆς πρῶτον ἐλθεῖν λέγουσιν Οἰδίποδα· διάφορα μὲν καὶ ταῦτα τῇ Ὁμήρου ποιήσει, λέγουσι δ' οὖν.

Quae si quis ita velit interpretari, ut ex verbis „*λέγουσι δ' οὖν*" Sophoclem et Euripidem indicari putet, legatur Paus. I, XXVIII, 7, ubi Sophoclem nominatim commemorans de Euripide tacet.

Sed multo pluris hoc facio. De Oedipodis morte et de loco, ubi e vita excesserit, Sophoclis tempore alii alia tradebant et hominum ea de re fabulae et sermones inter se repugnabant. Suum enim antiquae narrationi addere volebat quisque et cum Oedipodis obitu cultum deorum inferorum atque Eumenidum saepe coniungebant, quem per Orestem vel Oedipum multis locis institutum esse vel

arte cum eorum fortunis cohaerere crebro audimus; saepius sane de Oreste id tradebatur (vid. inter alios Pausaniam et Strabonem), sed Oedipus quoque in Boeotia, Spartae, Athenis cum inferis nonnunquam consociabatur (Schol. ad Oed. Col. 91, Herod. IV, 149, Paus. IX, 5, 15, Paus. I, XXVIII, 7).

Ex hisce fabulis Sophoclem unam elegisse, secundum quam in colle Colono Oedipus diem obiisset supremum, confidenter statuo. Nam poëta, cui locus, ubi natus est et puer vixit, quem omnibus spectatoribus scit notissimum esse, argumentum praebet, non nova fingere, sed nota retractare solet; de terra minus cognita nova comminisci potest, in patria sua, nisi spectatores offendere velit, quae maiores tradiderunt, ei sequenda sunt.

Sophoclem igitur in Oedipode Coloneo ab Homero et Aeschylo discedentem popularium famam sibi bene cognitam secutum esse statuamus! Non ipse elegit deas, quae Oedipum, ut antea vexavissent, ita nunc ad beatum vitae finem ducerent; Furiis neque vivi Oedipodis sortem neque mortui famam permisit. Sed Eumenides istae, quae in tragoedia nostra celebrantur, deae sunt, quas populus Atheniensis colebat, quas eam ob causam Sophocles quoque colit et habet deas, neque tamen in propria sua mente multum iis tribuens neque sortis et fortunae Oedipodis arbitras eas fingens. Tales per totam fabulam deae describuntur, quales eas quisque noverat Atheniensis, quisque Coloni incola. Certae iis voventur libationes (vs. 469 sqq.), earum delubra silentio praetereunt, earum nomen commemorare verentur homines; at Σεμναί dicuntur vel δημοῦχοι θεαί (vs. 458), nusquam ὑστερόποινοι, ὑστεροφθόροι, ποδώκεις, τανύποδες, χαλκόποδες, δρομάδες. Non legimus Oedipum artiore vinculo quam alios homines cum iis esse coniunctum, quietemve ab aliis numinibus impetrare non posse, sed a diis et fato esse constitutum, ut miser rex grandaevus in Furiarum luco mortis beneficio omnibus vitae curis et sollicitudinibus liberaretur. Itaque Sophocles cum Furiarum lucum memorat et Oedipum eo intrantem facit, inde non sequitur eum eandem Furiis in suis fabulis dedisse provinciam quam Aeschylum, neque eandem earum in res Oedipodis sibi finxisse potestatem, quam iis tribuissent maiores μυθολογοῦντες.

Perperam credi Oedipum vs. 465 sqq. libationibus placare iram Furiarum ob olim commissa flagitia excitam, postea demonstrare conabor, cum viri doctissimi A. Schöll de nostra fabula sententiam

oppugnabo. Quo loco non de Furiis Oedipum agitantibus, sed de numinibus Atticis mentionem fieri, neque parricidam expiari sed virum, qui dearum lucum imprudens intraverit, mihi quidem pro certo constat.

Vs. 864 et 1010 deae ab Oedipode Creonti pessima quaevis imprecanti invocantur, quod non Oedipus unus, sed quivis supplex facere potuit. Eadem ratione vs. 1391 Eumenides et Martem invocat, ut filios impios perdant.

In proximis *ἀρὰς ἀνακαλεῖται* Oedipus (vs. 1375 sqq.); hae tamen *ἀραί* non pro Eumenidibus habendae sunt, quae hominum coetui se non immiscent, sed perinde atque cetera numina Sophoclea procul remotae preces tantummodo mortalium audiunt; *ἀραί* illae nihil aliud significant nisi exsecrationes. Sane quasi personas ipsas agentes eas fingit Oedipus (vs. 1376):

νῦν τ' ἀνακαλοῦμαι ξυμμάχους ἐλθεῖν ἐμοί,
ἵν' ἀξίωτον τοὺς φυτεύσαντας σέβειν,

soliumque eas occupavisse dicit (vs. 1380):

τοιγὰρ τὸ σὸν θάκημα καὶ τοὺς σοὺς θρόνους
κρατοῦσιν,

sed tamen nihil nisi exsecrationes intellegendas esse ex his verbis patet (vs. 1384):

τάσδε συλλαβὼν ἀράς,

et ex sequentibus (vs. 1389):

τοιαῦτ' ἀρῶμαι καὶ καλῶ τὸ Ταρτάρου
στυγνὸν πατρῷον ἔρεβος, ὥς σ' ἀποικίσῃ,
καλῶ δὲ τάσδε δαίμονας κτἑ.

T a l i a t i b i i m p r e c a t u s s u m e t c u m a l i a n u m i n a t u m h a s E u m e n i d e s, u t *ἀράς* n o n i n a n e s e s s e s i n a n t, i n v o c o.

Restant duo loci, ubi Furiarum nomen legitur, de quibus paullo fusius mihi disserendum est.

Polynices vs. 1434, postquam patris iteratas exsecrationes audivit, dicit:

ἥδ' ὁδὸς
ἔσται μέλουσα δύσποτμός τε καὶ κακὴ
πρὸς τοῦδε πατρὸς τῶν τε τοῦδ' ἐρινύων,

et vs. 1299 idem de suo exilio et rebus adversis:

ὧν ἐγὼ μάλιστα μὲν

τὴν σὴν ἐρινὺν αἰτίαν εἶναι λέγω·
ἔπειτα κἀπὸ μάντεων ταύτῃ κλύω.
ἐπεὶ γὰρ κτέ.

Aliud autem hoc loco, aliud illo voce *ἐρινύς* indicari ratus Nauck posteriorem sic interpretatur: „Harum rerum Furiam, quae genus tuum persequatur, praecipuam causam esse contendo." Quae explicatio mihi reiicienda videtur [1]. Quid a patre petat Polynices, sententiarum qui sit ordo, non primo quidem aspectu perspicuum est propterea quod ipse se interrumpit supplex; huc tamen redire mihi videtur:

„Ego, cum Thebanorum principatum adeptus essem, non magna utebar felicitate, quippe qui statim a fratre natu minore ex urbe expellerer. Cuius rei exsecrationem tuam, quam Thebis proficiscens edidisti, causam fuisse audio. Nam de fortuna et miseria mea nuper vatem quendam interrogavi, Amphiaraum Argivum." Sed cum Amphiarao quae confabulatus fuerit fusius enarraturus, unde exorsus sit obliviscitur et consilium Thebarum expugnandarum societatemque cum Argivis initam commemorat. Tum ad argumentum reversus causam, cur venerit, relaturum se dicit. „Precantes venimus, pater, ego et socii", — sed sociorum mentione facta enumerare eos vult prius. Quam post secundam intercapedinem hoc modo pergit: „Et eorum et meo nomine te tuumque imploro auxilium; omnes te supplices adimus teque oramus, ut gravem tuam iram (vs. 1328) remittas; ex oraculis enim, quae interpretatus est Amphiaraus, patet ex te fortunam pendere nostram. Te si nobis adiunxeris, vincemus, Eteoclem trucidabimus, te ipsum in honorem restituemus."

Patris iram quam ob causam curaret is, qui non per patrem, sed per infestum familiae genium mala perpessus esset; qui genium nondum placasset ideoque a genio novas expectare deberet calamitates? — In patriam si vellet redire unum numen, quod illum expulisset ei placandum esset.

---

[1]) Idem R. C. Jebb dicit (ad versum): *τὴν σὴν Ἐρινύν*, the Fury, who pursues thee and thy race, the family curse, 369 *τὴν πάλαι γένους φθοράν* (cf. 965), as Oed. himself called his sons' strife *πεπρωμένην* (421). Not „thy curse on thy sons": Polyneices knows nothing of the imprecation uttered at 421 ff.

Vir doctus Ed. Fournier adnotat: „*τὴν σὴν Ἐρινύν* ta malédiction", sed nulla affert argumenta.

At Polynices, quae orat, non impetrat; immo Oedipus impietatem ei exprobrat auctoremque sui vocat exilii admonetque temporis, quo ille, Thebarum rex, patrem ex urbe eiecit. Ideo deus quidam ultor eum persequitur, qui mox maiore quadam vi in eum incumbet. Tales enim pater iam a n t e a edidit exsecrationes, quas nunc iterat. Quod „antea", nisi fallor, eo in contextu ad tempus spectat, quo Oedipus invitus Thebis decedens filiis pessima quaevis imprecatus est. Illas imprecationes victoriae impedimento esse Amphiaraus contendit; illae nunc iteratae certum Polynici portendunt exitum; illae eum et Athenas miserunt ad patrem mitigandum, et Athenis dimittunt ad mortem oppetendam.

Nauck ad suam versus 1299 interpretationem tuendam comparat dicta:

ἡ πάλαι γένους φθορά (vs. 369).
τὴν πεπρωμένην ἔριν (vs. 421).
χώρας ἀλάστωρ οὑμός (vs. 788).
θεοῖς μηνίουσιν εἰς γένος πάλαι (vs. 965).

Ad primum et secundum locos quod attinet, non eodem tempore poëta totum Ismenae adventum scripsit, quo hoc cum fratre colloquium; illic enim diu, postquam Oedipus e regione abiit, Polynices tyrannus factus est (vs. 364), hic Polynice rege Oedipus in exilium missus est (vs. 1354), de quo mox plura [1]).

In versu autem 788 *χώρας ἀλάστωρ οὑμός* genius infestus et iratus Oedipodis est, non genius domui regiae inimicus, ut hic „*ἡ σὴ ἐρινύς*" interpretatur Nauck. Postremo in versu 965 sine dubio Oedipus deos superos suo generi succensere arbitratur, sed id non satis est causae, cur hic Sophoclem dicere credamus, deum sive deam quandam ex inferis, quae Oedipum expulerit, etiam filium ad miseram condicionem redegisse.

Sed maioris est momenti, quod „tua Furia" non potest dici generis Furia; vox „*ἡ σὴ ἐρινύς*" necessario intellegenda et interpretanda est eodem modo, quo *πατρὸς, μητρὸς, παιδὸς, τέκνων, πτωχῶν Ἐρινύες*, i. e. Furiae, quae flagitium erga patrem, matrem etc. commissum vindicant atque ulciscuntur. Eundem genitivum idem valere videmus:

Hesiod. Theog. 472. Homer. Φ 412. λ 280. ρ 475.

---

[1]) pag. 84 sqq.

Aeschyl. Sept. 70, 720, 880. Agam. 1434. Choeph. 923, 924, 1052. Soph. Oed. Col. 1435. Eurip. Med. 1389.

Iam apud Aeschylum vidimus vocis „πατρὸς ἐρινύς" significationem pedetemptim mutatam esse, sed genitivum semper eandem retinuisse vim et mansisse genitivum, ut ita dicam, subiectivum. Sic hic quoque pronomen possessivum, quod genitivi munere fungitur, eum indicare mihi videtur, qui edidit exsecrationem. Patris exsecratio hoc loco commemoranda est, eaque in medium est proferenda et facit ad rem, ut filii causam non esse desperandam pater intellegat, et ut ea ab auctore revocata Polynices rursus felix atque prosper fieri possit; generis vero miseriam neque tollere neque mutare penes Oedipum est.

Arte cum versus 1299 interpretatione vs. 1375 cohaeret:

τοιάσδ' ἀρὰς σφῷν πρόσθε τ' ἐξανῆκ' ἐγὼ
νῦν τ' ἀνακαλοῦμαι ξυμμάχους ἐλθεῖν ἐμοί.

Nauck „πρόσθε" interpretatur: „cum nuntium Ismenae audivissem". Non recte, ut mihi videtur; πρόσθε et νῦν nullo modo intellegi possunt, nisi quod intersit intervallum, et si Oedipus Ismenae demum audito nuntio filios exsecratur, mirum videtur, quod exsecrationem, quam antea edidisset, cum audito oraculo se non in patriam reduxissent filii, nunc iterat, quod Polynices olim se expulerit. Sed poëtam, quo tempore Oedipodis cum Polynice colloquium et inter cetera versum 1375 scriberet, aut adventum Ismenae nondum fecisse aut non in drama recepturum fuisse, mox pluribus demonstrare conabor. Nunc monere satis habeo quod etiam alii ante Sophoclem tradiderunt Oedipum filios, cum de urbe decederet, exsecratum esse (ut ex Paus. IX, 5, 12 et Apollod. III, 5, 9 colligere possumus), et „πρόσθεν" voculae νῦν oppositum sine dubio significare: „cum Thebis egrederer."

Quodsi ad versum 1299 redimus, σὴν ἐρινύν nihil aliud nisi t u a m e x s e c r a t i o n e m, i. e. exsecrationem Oedipodis, hominis vivi, significare patet, Nauckium autem, cum apud Sophoclem vocem ἐρινύν plerumque non deam indicare neque, ut apud Aeschylum, semper de hominibus nefarie interemptis usurpari, sed a poëta nostro latiore sensu adhiberi non recordaretur, in errorem incidisse veri simile videtur.

Quin autem vivi quoque hominis ἐρινύς a Sophocle memoretur, nemo, qui versum 1434 legerit, dubitabit. Polynices enim patrem

mox supremum spiritum esse editurum nescit, ipse Thebas statim proficisci secum constituit, sed nihilominus timet ne in ea expeditione „πατρὸς ἐρινύς" ad perniciem se agat. Ergo vox „πατρὸς ἐρινύς" et vs. 1299 et vs. 1436 interpretanda est: „exsecratio, quam pater edidit, et quae filium pessumdat," et utroque loco vocabulum eandem habet vim et significationem.

Quae apud Sophoclem in reliquis fabulis de Furiis audimus, prorsus non congruere cum Aeschyli informationibus iam antea dixi; nunc hoc quoque clarum esse puto in Oedipode Coloneo eodem modo sese rem habere. Furiae ultrices apud Aeschylum vivunt vigentque, apud Sophoclem iam magnam potestatis partem amiserunt et annis volventibus debitum reddiderunt.

Nomen dearum apud poëtam nostrum invenimus, sed nomen istud saepe non amplius ad deas indicandas sed ad ea, quae homo dicit vel sentit, quae hominis ore edita homini nocent et officiunt, indicanda usurpatur et saepe de numinibus, quae dis superis serviunt et legibus magis quam personis similia sunt, adhibetur. Si quando nomen ipsas indicat Furias αὐτοκράτορας, eiusmodi locis, quae antiqui dicebant vel credebant in memoriam revocare Sophocles videtur, non ex animi sententia suas proferre informationes; ad fabulam vero componendam nunquam satis argumenti ei praebuerunt.

Sed quamquam Ἐρινύες apud poëtam vita carent, Εὐμενίδες adhuc vivunt. Poëta pius — καὶ γὰρ εἷς ἦν τῶν θεοσεβεστάτων (Schol. Elect. 831) — non dubitat de deabus, quas civitas colit; hae in Oed. Col. memorantur, sed Oedipum in lucum suum recipiunt fortuito, vel potius non fortuito verum quod miserum regem apud eas quietem invenisse antiquitus Athenis valeret opinio, quam poëta iam puer accepisset [1]). Non sine causa sane antiqui homines Oedipodis exitum in Eumenidum luco collocaverunt, verum easdem deas, quae antea Furiae Oedipodi prosperitatem et fortunam ademissent, Eumenides factas mortis quietem et beatitudinem ei praestare fecerunt, ita ut

---

[1]) Eandem sententiam apud Schöllium, Gesch. der Gr. Lit. I, 241, repperi: „Der Verfasser sieht in diesem Umstand (dass der Greis im Hain der Erinyen Ruhe und Frieden findet) nichts weiter als die Anschmiegung an eine Nationaltradition."

Oedipodis cum Furiis eadem esset ratio atque Orestis. Sed poëtae nostro non amplius valet ea causa et Sophocles Oedipodis mythi vim poëticam magnopere imminuit, quippe qui mutatione *τῶν Σεμνῶν* prorsus praetermissa exulis caeci e vita excessum ideo tantummodo in luco Eumenidum collocaverit, quia tradita mutare non opus esse iudicaret. Quamquam igitur in sacro dearum solo moritur, non Furiae sunt, quae Oedipum curis et sollicitudinibus liberant, sed superi, ut satis superque poëta declarat; non per Eumenides omnia fiunt sed apud eas.

Apollinis consilio Thebanum regem huc pervenisse Theseus vs. 665 dicit:

θαρσεῖν μὲν οὖν ἔγωγε κἄνευ τῆς ἐμῆς
γνώμης ἐπαινῶ, Φοῖβος εἰ προὔπεμψέ σε,

Iovis tonitru supremam adesse lucem monetur, et vox illa, quae clamat:

ὦ οὗτος, οὗτος, Οἰδίπους τί μέλλομεν
χωρεῖν; πάλαι δὴ τἀπὸ σοῦ βραδύνεται,

sine dubio a nullo Furiis vel Eumenidibus tribuetur.

Quas ob causas haud dubia mihi res videtur, et quamquam hanc sententiam nusquam in virorum doctorum de lttteris Graecis libris reperire potui nisi in opere hodie fere intermortuo M. S. F. Schöll, Geschichte der griechischen Litteratur zw. aufl. 1828 I, pag. 241, non vereor Furiis omnem in Oedipum Sophocleum potestatem abiudicare, ita statuens:

„Non Furiarum potestas apud Sophoclem in Oedipodis vita cernitur, sed Lai filius vivus magna in se admittit scelera, mortuus magnum apud posteros obtinet honorem potestate atque voluntate deorum superorum."

DE FABULAE, QUALIS AD NOS PERVENIT, STATU IMPERFECTO ET DE TEMPORE, QUO COMPOSITA EST.

Non sanctum igitur et expiatum, antea a Furiis afflictum, sed nunc earum adeptum gratiam in scenam inducere Oedipum poëta, cum fabulam componeret, in animo habebat. Quod autem consilium, quae tandem mens ei erat? — Vereor pronuntiare, quid sentiam; nam poëtae laudibus detrectare, licet procul sit ab animo, tamen facile videri potero. Itaque bona cum venia, quaeso lectores, accipiatis sententiam, nec Sophoclis musam me non satis coluisse putaveritis, quod tragoediam, de qua agimus, non permagni faciam; immo vero tam pulchra mihi cetera dramata videntur ut hoc non dignum putem, quod quasi fabula habeatur perfecta, elaborata, a Sophocle, ut scenae committeretur, probata.

Tragoedia Oedipus Coloneus, quamvis pulchri insint versus, quamvis suavia carmina, tamen, si non partes sed totum spectes, admiratione nostra non digna esse mihi videtur; neque enim consilium fabulae cernitur, neque arte cohaeret neque unum habet propositum neque, quid sibi velit, apparet; non drama est sed quasi dramatis fragmenta, sine apto iudicio coniuncta. Quae si cum Oedipo Rege compares, illud unum in se absolutum, haec quasi lancem saturam esse quam clare apparet! Multos vero in fabula inesse locos inter se repugnantes, iam viri doctissimi Schöllius et Nauckius contenderunt meumque igitur erit, quae argumenta mihi maximi videantur momenti, succincte indicare.

Ismena ministro fideli comitante mulo vehitur (vs. 313, 334), Antigona vero eget calceis (vs. 349 *νηλίπους ἀλωμένη*), et Oedipus

ipse mendici vestem et cibum sibi expetere debet, quippe quem filius inveniat (vs. 1257)

ἐνθάδ' ἐκβεβλημένον
ἐσθῆτι σὺν τοιᾷδε, τῆς ὁ δυσφιλὴς
γέρων γέροντι συγκατῴκηκεν πίνος

etc. usque ad vers. 1265.

Nihilominus neque Ismena neque postea Theseus, qui benevolus exulem recipit, veste cibove eum adiuvare conatur neque hac in re voluntatem prodit vel auxilium offert.

Initio fabulae Oedipus, quis Athenis rex sit, nescit, de hospitio et foedere, quod sibi cum Athenarum rege est, tacet; Theseus vero supplicem tueri debet, quocum ei sit δορύξενος κοινὴ ἑστία. Versus autem 633, in quo ea verba leguntur, deleri non potest, quoniam apte congruit cum aliis fabulae partibus (vs. 606, 616, 919, 929 etc.), ubi vel Thebae celebrantur vel Thebanorum cum Atheniensibus concordia commemoratur; attamen hinc alienus est. Oedipus Athenis recipitur, quia urbi cum Thebis foedus est; cum ipso enim Oedipode foedus esse ictum, qui neque statim Athenas profectus sit, neque Thesei nomen noverit neque de societate illa verbum fecerit, non admodum est veri simile. Ergo cum domo regia vel cum civitate pacti erant Athenarum reges vel cives, quo foedere nunc Theseus movetur ut Oedipode recipiendo Thebanis paret calamitatem.

Etiam firmiora argumenta ex locis, quibus de exilio agitur, afferri possunt. Oedipus Polynicem acerbis lacessit conviciis, quod ab eo e patria expulsus est, Creonti vero non ipsum exilium suum obiicit, sed tantummodo quod tam sero expulsus est. Ex Oedipodis adversus filium verbis efficias necesse est, eum sine causa atque necessitate expulsum esse, ex oratione ad Creontem habita eum secundum ius fasque in exilium esse missum et, quid recte obiiciat, nescium ficta et futilia crimina proferre. Eadem ratione idem Oedipus, qui ad chori senes de se ipso dixit:

νόμῳ δὲ καθαρός, ἄϊδρις εἰς τόδ' ἦλθον (vs. 548),

postea commaculatum se esse pronuntiat et Theseum se amplecti vetat, quod puro isti viro non liceat virum attingere, cui τίς οὐκ ἔνι κηλὶς κακῶν ξύνοικος; (vs. 1134).

Porro secundum vs. 601 a suis filiis Oedipus expulsus est et vs. 1354 disertis verbis Polynices rex Thebarum fuisse, cum pater eius in exilium iret, ab Oedipode dicitur:

ὅς γ᾽, ὦ κάκιστε, σκῆπτρα καὶ θρόνους ἔχων,
ἃ νῦν ὁ σὸς ξύναιμος ἐν Θήβαις ἔχει,
τὸν αὐτὸς αὑτοῦ πατέρα τόνδ᾽ ἀπήλασας.

Nihilominus èt ipse filios intra domus parietes manere opinatur vs. 343:

κατ᾽ οἶκον οἰκουροῦσιν ὥστε παρθένοι,

èt Ismena narrat eos antea non regnum appetivisse, sed nunc demum diu post Oedipum exulem factum regni cupiditate esse inflammatos (367 sqq.):

πρὶν μὲν γὰρ αὐτοῖς ἦν ἔρις Κρέοντί τε
θρόνους ἐᾶσθαι μηδὲ χραίνεσθαι πόλιν,
. . . .
νῦν δ᾽ ἐκ θεῶν του κἀξ ἀλιτηροῦ φρενὸς
εἰσῆλθε τοῖν τρὶς ἀθλίοιν ἔρις κακή,
ἀρχῆς λαβέσθαι καὶ κράτους τυραννικοῦ.

Quibuscum congruit, quod pater filios non esse adversatos, quominus a civibus expelleretur, queritur vs. 430 et 440 et Creonti se ab eo e civitate esse eiectum obiicit vs. 770.

Nauckius postremos locos non inter se repugnare putat sed Oedipum nova filiorum impietate audita ita permoveri iracundia ut mendacium proferat. At neque Oedipus mendax fingitur neque post vs. 427 sqq. nova filiorum nuntiatur impietas. Quis autem tale mendacium excusatum velit? Creon rex fuit, Creon et cives virum miserum in exilium miserunt, filii deprecari tantum potuerunt cives; qui cum rerum status fuisset, pater ad filium loquitur: „Tu rex eras, tu solio insidebas, quo nunc frater tuus." (vs. 1354). Alter frater autem altero expulso unus potestatem habebat cum apud reliquos scriptores tum apud Sophoclem; nullo igitur modo explicari vs. 1354, 55 possunt nisi hoc: Oedipum filio exprobrare, quod antea omni fungens potestate atque imperio patri auctor fuerit exilii. Quod cum vs. 430 et 470 et 342 comparatum tale est mendacium, ut neque Oedipodi neque Sophocli imputari possit.

Postremo laudes, quae Thebarum civibus tribuuntur, non in reliquam quadrant fabulam et locis, quibus leguntur, molestissimae sunt. Veri simile est Sophoclem, ut hanc fabulam scriberet, inter alia impulisse rem breviter ante factam, quae nobis ex Schol. ad Aristidem pag. 284 nota est; commentator adnotat: ἄλλοι δέ φασιν ὅτι πολλῶν κακῶν αἴτιος γεγονὼς τοῖς Θηβαίοις, διά τε τὸν φόνον τῶν

παιδῶν ἐναγὴς ὑπάρχων, ἐκβάλλεται τῆς πόλεως καὶ ἐλθὼν εἰς τὸν Κολωνὸν καὶ τελευτήσας ἐκεῖ θάπτεται· ἐλθόντων δέ ποτε Θηβαίων κατὰ Ἀθηναίων ἐπιφαίνεται Οἰδίπους Ἀθηναίοις, κελεύων αὐτοὺς ἀντιπαρατάξασθαι Θηβαίοις θαρροῦντως· καὶ συμβαλόντες ἐνίκησαν αὐτούς.

Sane narratio postea fingi potuit, sed nil obstat, quominus iam, priusquam tragoediam ultimam Sophocles inchoavit, talis fuerit fama et sermo hominum et *ἄλλοι* illi, qui illud tradebant, in narrando non poëtam secuti sint, sed aeque atque poëta rumorem popularem.

Eam autem ad rem celebrandam inter alias causas poëtam conscripsisse fabulam propter multos locos, quibus hoc ad factum alluditur (vid. vs. 402, 411, 1764, aliosque) probabile videtur. Bellum igitur vel inimicitiae Atheniensibus, quo tempore partem fabulae scribebat poëta, cum Thebanis erat neque quicquam erat causae, cur Sophocles de industria aut priorem amicitiam cum Boeötis aut eorum iustitiam in medium proferret. Attamen Theseus tempore ad laudandum non idoneo magna Thebas extollit laude (vs. 919 sqq., 929 sqq.) et consulto a poëta affirmatur Thesei tempore magnam inter ambas civitates fuisse concordiam (vs. 616 sqq.). Quos versus poëta neque eodem tempore, quo reliquam fabulam, scripsit neque, quibus locis nunc leguntur, collocaturus fuit.

Morte autem poëtam, quominus fabulam ad finem perduceret, impeditum esse non inanis est coniectura; supremis saltem vitae diebus eum in hac tragoedia componenda occupatum fuisse mihi quidem constat has quattuor ob causas [1]:

1) Propter fabulae indolem.

Scriptorem grandaevum esse satis clare, cum drama legimus, nobis apparet; non iam iuvenilis ardor scriptori praesto est, actio exigua est, interdum senem poëtam, cui mors ante oculos versetur, sua ex mente de vita eiusque fine loquentem audimus. Vid. praesertim vs. 1211—1297, ubi Sophoclem Herodotum VII 46 imi-

---

[1]) Qui viri docti Oedipum Coloneum ultimum poëtae opus fuisse censeant, quique negent, iam in praefatione dixi. Hic Christii sententiam exscribere mihi liceat:

Aber sicher war dieses nur ein Wiederaufführung und kam das Stück zum erstenmal schon vor den Phönissen des Euripides, deren Schluss 1705 sqq. unverkennbar auf unsere Tragödie anspielt, wahrscheinlich auch vor dem Philoctet, dessen Versbau eine ungleich grössere Laxheit verrät, auf die Bretter.

tari in transitu moneo [1]). Quamquam eum prius fabulam inchoasse veri simile est, magnam partem eum, cum mortem ante oculos haberet, fecisse arbitror, ita ut prorsus viro doctissimo Mahaffy assentiar I 303 scribenti: „I hardly think the arguments, based on its purity of metre and strength of diction, will weigh against the current tradition, backed up by the strong feeling of every reader from Cicero to our day, that its mildness and sadness, nay even its weariness of life, speaks the long experience and sober resignation of an old man near the grave."

2) Propter antiquorum affirmationem.

In fabulae argumento legimus: ὃ καὶ ἤδη γεγηρακὼς ὁ Σοφοκλῆς ἐποίησεν, et Valerius Maximus (VIII, 7, 12) disertis verbis idem contendit:

„Sophocles quoque gloriosum cum rerum natura certamen habuit, tam benigne mirifica opera illa sua exhibendo, quam illa operibus eius tempora liberaliter subministrando. Prope enim centesimum annum attigit sub ipsum transitum ad mortem Oedipode Coloneo scripto; qua sola fabula omnium eiusdem studii poëtarum praeripere gloriam potuit: idque ignotum esse posteris filius Sophoclis Iophon noluit, sepulcro patris, quae rettuli insculpendo."

Omnes denique scriptores, qui falsam narratiunculam de Iophontis accusatione tradunt, poëtam grandaevum id temporis in ea fabula facienda occupatum fuisse addunt. Satyrus in vita poëtae, Anonymus qui fabulae argumentum scripsit, Cicero Cat. Mai. cap. VII, Apuleius Apologia 298, Plut. Mor. 785 A, Ps. Lucianus in Macrobiis cap. 24.

3) Propter Iophontis iudicium.

Iophontem apud curiales patrem dementiae arguisse, poëtamque cantico recitato absolutum esse Satyrus Peripateticus, ut satis notum est, tradidit, et post eum multi alii. Satyrus, qui, quo tempore singulae poëtarum fabulae actae essent, optime noverat, si Oedipum Coloneum iam antea a poëta doctam esse Aristoteles tradidisset, non dubitasset, quin narrationem illam refutaret. Ve-

---

[1]) Alias imitationes invenimus:

Soph. El. 417 sqq. — Her. I 108.	Oed. R. 983 — Her. IV 197.
fragm. 380 — Her. I 94.	Oed. Col. 337 — Her. II 35.
fragm. 420 — Her. IV 64.	Antig. 909 — Her. III 119.
Trach. 172 — Her. II 55.	

rum fabulam non prius actam esse ex hoc quoque patet: Si G. Hermannus veram narratiunculae originem repperit, et Aristophanes in comoedia quadam Sophoclem a filio accusatum nostrae fabulae stasimum vs. 668 sqq. recitantem fecit, comicum hunc ad finem tragoediam elegisse, quae supremis vitae diebus Sophocli in manibus esset, non multis eget verbis ut demonstretur. Tragoedia, quam tum forte scribebat, non fabula pridem condita se non desipere poëtea demonstrandum erat, ut iam apud Ciceronem legimus: „fabulam, quam inmanibus habebat et proxime scripserat."

4) Propter fabulam anno 402 actam.

Fabulam quadriennio post mortem poëtae actam esse constat [1], et quamquam tragoedia iam prius doceri potuit, multo veri similius est, nepotem ignotam fabulam, ab avo nondum ad finem perductam dedisse, quam actam egisse.

Tria sunt argumenta, quibus viri docti nituntur, qui fabulam diu ante mortem a Sophocle conditam esse declarant:

1) propter versus limatos.

2) propter Phoenissarum Euripidis exitum.

3) propterea quod in primis ad patriae cum Thebis rationem illustrandam et Athenarum gloriam celebrandam Sophocles drama scripserit.

At primo fieri potest ut magnam fabulae partem prius poëta fecerit, et alias postea addiderit neque quidquam obstat quominus per longum temporis spatium in fabula componenda occupatus fuerit.

Tum non primus Sophocles Oedipum in Attica mortuum esse finxit sed uterque poëta, quae antiqui tradiderunt, secutus est.

Postremo tragoedia non idem est ac comoedia; in illa non tam, quam in hac, res publica valet; poëta scribit, poëta sane patriae amans, sed is, qui omnia ad artis non ad rei publicae rationes referat.

Veri igitur simillimum est — quamquam non certas res me tradere, sed coniecturas facere confiteor — supremo vitae tempore in Oedipode Coloneo scribendo Sophoclem fuisse occupatum, ita ut eius opus ultimum nostra sit tragoedia.

Scimus autem permultas fabulas a poëta esse scriptas, ita ut temerarium sit statuere, cum ultima ad finem esset perducta, tum

---

[1] Vide argumentum fabulae, quod ex Aristotelis schola fluxit, qui Athenis documenta ad rem scenicam pertinentia perscrutatus est.

demum eum animam efflasse. Multo est veri similius poëtam fertilem et a civibus semper laudatum, qui usque ad novissimam lucem sana frueretur mente, ut Phrynichus in „Musis" testatur (*καλῶς ἐτελεύτησ', οὐδὲν ὑπομείνας κακόν*), non studio destitisse sed etiam ultimis vitae diebus musis se dedisse, itaque morte esse impeditum, quominus ultimam perficeret tragoediam, ut Simonides minor nobis tradit (Anth. Pal. VII 20):

ἐσβέσθης, γηραιὲ Σοφόκλεες, ἄνθος ἀοιδῶν,
οἰνωπὸν Βάκχου βότρυν ἐρεπτόμενος [1]).

Propter causas, quas dixi, statum fabulae imperfectum poëtae morti imputo, sed ea de re alii aliud censent. Inter alios Adolfus Schöllius in Philologo (anno 1867) [2]) coniecturam de tragoedia nostra valde improbabilem protulit, de qua non loquerer, nisi Nauckium non sine laude eum commemorare et in nonnullis locis explicandis sequi viderem et alios viros doctos vel idem dixisse vel sententiam eius approbavisse animadverterem.

Schöllius igitur, qui fabulam, de qua agimus, longe aliter a Sophocle compositam, sed a nepote, priusquam in scenam produceretur, totam esse retractatam magna copia argumentorum e hodierna dramatis forma sumptorum demonstrare conatur — in fabula retractata enim vestigia adhuc prioris operis permanere — nimis callide de illa, quam statuit, fabulae mutatione disserere et saepissime nodum in scirpo quaerere mihi videtur. Nepos, ita contendit, in Oedipode supplice et exule antiquum exemplum Atheniensium exulum a triginta tyrannis expulsorum et a Thebanis urbe receptorum proponere voluit. Propterea Oedipum miserum reddit, egenum, misericordiam moventem, civitatem Atheniensium secundum ius gentium petentem et obtinentem, culpam ab Oedipode in Thebanos et praesertim in miseri regis propinquos confert, duas

---

[1]) Versus postremus apte significare potest: „in Oedipode Coloneo componendo occupatus."

Opinio nonnullorum Alexandrinorum, qui Simonidis versus ad litteram acceperunt, ne verbo quidem digna est; quae non multum discrepat ab eorum errore, qui ex voce *ποιητὴς Βάκχου πλήρης* (divino instinctu concitatus) poëtarum vinolentiam statuere non veriti sint.

[2]) Die überarbeitung des sophokleischen Oedipus auf Kolonos, nachgewiesen an den widersprüchen in allen handlungsmotiven pag. 386—445, pag. 577—606.

partes, alteram optimatium, alteram popularium Thebis esse fingit et Oedipum foederis, quod cum Thebanorum popularibus Atheniensium democratia feriat, quasi auctorem facit.

Quam argumentationem cum totam reddere et refellere longum sit, nonnulla eligam argumenta, quibus multum tribuit, eaque redarguere conabor.

Longe abest, ita Schöllius, a Sophoclis ipsius proposito, quod Oedipus in civitatem Atheniensium recipitur; nepotis hoc est additamentum, quod cum reliqua fabula, in qua Oedipus peregrinus fingitur, aperte pugnat (vid. Nauck pag. 32).

At civem Atheniensem Oedipum fieri unde patet? — Ex uno versu 637, ubi Theseus dicit:

ἁγὼ σεβισθεὶς οὔποτ' ἐκβαλῶ χάριν
τὴν τοῦδε, χώρᾳ δ' ἔμπαλιν κατοικιῶ [1]).

Pro vocabulo ἔμπαλιν Musgravius nescio quam ob causam coniecit ἔμπολιν, qua de coniectura cum Schöllius taceat, utrum probet necne, statuere difficile est, sed probasse eum suspicor. Coniecturam in textum receperunt viri doctissimi Dindorf (etiam in recentissima editione), Wunder, Schneidewin, Blaydes, Hartung, Jebb alii.

Plane tamen falsa mihi videtur. Primum lectionem traditam recte se habere neque corruptam esse censeo. Vocabulum ἔμπαλιν „e contrario" significans apud Sophoclem etiam Electra 647 occurrit et praeterea, ut hos afferam, apud Polybium (IX, 22, 10), Lucianum (Prometh. 5), Dionem Cassium (LIV, 16) in eadem significatione legitur et nostro loco nihil obstat, quominus versum hoc modo intellegamus:

„e contrario in regione mea collocabo et domicilio donabo".

Coniectura „ἔμπολιν" praeterea ideo temeraria est, quia Graecum hoc esse vocabulum minime constat. Apud Sophoclem tantummodo Oed. Col. 1156 occurrit, ubi corruptum est; qui locus propterea argumento esse non potest Graecos hoc vocabulo usos esse [2]). Nihil

---

[1]) „Mit völkerrechtlicher motivirung (631 ff) ertheilt ihm Theseus die aufnahme als bürger und damit schutz gegen die dränger, die er erwartet." A. Schöll pag. 394.

[2]) Aut σοί γε μὲν φίλον | οὐκ ὄντα, συγγενῆ δέ, vel tale quiddam aut, si versus 1161 ad litteram accipiendus est, νῦν μὲν Ἀργόθεν | ἰόντα, συγγενῆ δέ, vel aliquid eiusmodi scripserit poëta necesse est. Miror, quod Hermann Dindorf Jebb alii de loco ne dubitant quidem. Nauck verba corrupta esse censet et σοί γ' ὁμόπτολιν proponit, quod non melius quam lectionem traditam habeo; patriae mentio de exule adversus exulem facta absurda est.

magis Suidas (in voce) probat, qui Soph. Oed. Col. 1156 exscripsit. Eodem modo ex Sophocle haurire potuit Hesychius, apud quem legitur: ἔμπολις, ὁ πατρίδα ἔχων. Postremo apud Pollucem legimus: τὸν δὲ ἀστὸν Εὔπολις ἐν τῇ Ἀνάδι ἔμπολιν (v. l. εὔπολιν) εἴρηκεν. In reliquis scriptoribus nusquam occurrit.

Ergo licet appareat semel poëtam Graecum vocabulo esse usum, non constat quo in contextu adhibuerit, neque utrum vocabulum fuerit ordinarium, quod forte fortuna in scriptoribus reliquis non legatur, an novum a comico nescio quam ob causam formatum unoque loco adhibitum.

Postremo vocabula χώρᾳ (N. B. dativum) et ἔμπολιν non apte coire mihi videntur. Quas ob causas coniecturam omnino improbandam esse censeo, neque enim lectionem traditam depravatam esse neque lectionem propositam bene se habere.

Nauckius autem neque legit neque defendit coniecturam ἔμπολιν, sed nihilo minus hoc loco Oedipum civitate donari credit (pag. 32). Cur credat, non intellego, nam κατοικίζειν eam non habet significationem; κατοικίζειν contrarium est verbi ἀποικίζειν, quod in fabula nostra vs. 1309 legitur, quo loco de civitatis iure ne cogitari quidem potest; κατοικίζειν ipsum nihil aliud est nisi domum vel domicilium alicui dare, ut κατοικεῖν domum vel domicilium habere, qua ratione haec verba multis locis adhibita videre possumus. Ut haec afferam: Soph. Ant. 1069

ψυχὴν ἀτίμως ἐν τάφῳ κατοικίσας.

Eurip. Hippol. 616

γυναῖκας εἰς φῶς ἡλίου κατῴκισας.

Thuc. II, 102, 5 κατοικισθεὶς εἰς τοὺς περὶ Οἰνιάδας τόπους Alcmeon dicitur, cui ab Apolline mandatum erat, ut in ea regione κατοικίσαιτο, quae, cum scelus admitteret, nondum solis radiis calefieret. Ubi Alcmeon paullo post neque urbem, opinor, neque civium tabulas invenire potuit.

Vide praeterea Herod. II 154 et nostri poëtae Phil. 40, Oed. Col. 362 ubi κατοικεῖν non civitatis ius sed domicilium indicat.

Itaque, ut aliquando ad finem perveniamus: versus, de quibus agimus, nihil aliud significare possunt nisi:

„qua religione permotus ego me nunquam ingratum praestabo, sed e contrario hunc virum in regione mea collocabo,"

neque ulla est causa, cur hic de civitate quicquam dici putemus. En gravissimum Schölli argumentum, de quo saepissime loquitur! Nonnulla alia videamus.

Non solum ius inquilinorum (schützbürgerrecht) sed etiam ius asyli (asylrecht) secundum Schöllium Oedipodi nepos tribuit, non modo vs. 637 et qui praecedunt quique sequuntur a recenti manu scripti sunt, verum etiam vs. 461—510. Quam Schöllius profert causam? — Nepos Oedipum omni macula liberare studet et eum fingit virum iure in dearum gratiam receptum; Sophoclem vero non ipsum eos scripsisse versus vel hinc manifestum est, quod poëta noster non tam delirus et vesanus esse posset, ut maxima et gravissima delicta ritu quodam cotidiano et vulgari expiari crederet [1]).

Neque Sophocles, si quid video, eam libationi vim tribuit neque alius nisi poëta noster versus scripsit. Quod ad priorem sententiam attinet, non Schöllius primus eo modo versus explicavit sed iam Scholiastes adnotat: *παραινοῦσι γὰρ αὐτὸν καθαρσίων τυχεῖν, ἵνα ἧττόν πως ἐναγὴς φαίνοιτο*, cui explicationi Th. Bergk assentitur (Gr. Litt. III, pag. 435 anm. 200). Quam tamen falsam esse censeo; nam versus 466 sqq.

θοῦ νῦν καθαρμὸν τῶνδε δαιμόνων, ἐφ' ἃς
τὸ πρῶτον ἵκου καὶ κατέστειψας πέδον,

nullo alio modo explicandi esse mihi videntur nisi hoc:

Oedipus, quod nefas erat, in lucum sacrum penetravit et hac in re adversus deas peccavit, quae idcirco libationibus ei placandae sunt. Non magnum est peccatum, non magno labore expiatio obtinetur, nihil de priore Oedipodis vita, de Furiarum potestate dicitur, sed senes, qui vs. 120 sqq. peregrinum in lucum penetrasse moleste ferebant, ante omnia ut deae placentur curant, illorumque religionis causa illorumque metus adimendi gratia libationes feruntur.

Inanis est suspicio patris caedem et matris nuptias parva hac et facili caerimonia expiari. Multa obstant; primo, ut iam pluribus demonstrare conatus sum, apud Sophoclem Dirae Oedipodi ob maleficia non irascuntur — non penes eas exulis fortuna est — secundo,

---

[1]) Etiam Nauck easdem ob causas versus Sophocli abiudicat; vide praef. pag. 31.

si iratae essent, non tam facile mitigarentur, non filiam sed senem ipsum deas precari oportebat, non pauca verba atque aliquantum mellis et aquae sufficerent; iure suo Schöllius hoc non sani ducit poëtae: virum, qui magna admiserit maleficia, momento temporis sine ullo labore, industria, impensa liberari maculis. At id non eius, qui hos versus scripsit, sed eius, qui versus male intellexit, vitium est; non Sophocles vel nepos erravit, sed Schöllius cum Scholiasta.

Tertio Theseus de libationibus nihil rogat curatve, sed tantummodo chori senes, qui Oedipum altius penetrasse viderunt, caerimonia opus esse arbitrantur.

Quarto de Oedipodis priore vita hoc loco ne verbum quidem fit. Quorum numinum Oedipus *καθαρμὸν θέσθαι* iubetur? — *τούτων ἐφ' ἃς τὸ πρῶτον ἵκετο καὶ κατέστειψε πέδον*. Valde dolendum est, quod versus exitus corruptus videtur, ita ut firmum argumentum inde duci non liceat; sed si quid elici potest, id certe hoc est non propter priorem vitam sed propter huius diei peccatum Oedipodi caerimonia opus esse.

Itaque libationes et preces, quae Ismenae mandantur, non (ut Nauck pag. 31 contendit) inutiles videntur post ea, quae ipse Oedipus (vs. 84 sqq.) precatus est, sed illic ex ipsius animi sententia auxilium dearum implorat et se secundum Apollinis oraculum earum in luco quietem inventurum esse contendit, hic Ismena ut Atheniensium religioni satis fiat, iram dearum ob lucum temere initum commotam mitigare studet. Non *Ἐρινύες* tragicae placantur, sed *θεαὶ δημοῦχοι*, deae, quae Coloni incolis opitulari creduntur. Rectius igitur est, quod legimus ad vs. 467: *δι' αὐτὸ γὰρ τοῦτο κελεύουσιν αὐτῷ καθαίρεσθαι, ὅτι εἰς ἄβατον ἐπέβη τόπον τοῦ ἱεροῦ τῶν Σεμνῶν* [1]).

Hic vero ipsius poëtae verba nos habere neque a nepote istos additos esse versus mihi quidem pro certo constat ex vs. 498 sq.:

ἀρκεῖν γὰρ οἶμαι κἀντὶ μυρίων μίαν
ψυχὴν τάδ' ἐκτίνουσαν, ἢν εὔνους παρῇ.

Non magnis donis non multis immolatoribus in

---

[1]) Recte scribit P. de Saint-Victor. Les Deux Masques, Paris 1895 II pag. 159: Ce rite, il l'accomplira pour se conformer aux lois du pays, ainsi qu'il sied a un hôte, n'en sentant d'ailleurs nul besoin.... qu'importe une goutte lavant une tâche a l'homme qu'a couvert l'immense souillure, sur laquelle les flots ont passé?

sacrificando opus esse, sed animum pium et purum multo magis deorum gratiam adipisci arbitror.

Quae neque communis Graecorum erat opinio saeculo quinto viventium neque poëta mediocris talia pronuntiat. Apud Horatium cum fere idem legimus (Carm. III 23, 17 sqq.) alio illum tempore vixisse et iam Stoicos iam Iudaeos puriores suas de deo et pietate promulgasse notiones recordandum est. In Graecia vero belli Peloponnesiaci tempore non multi ita sentiebant, sed deum, quo plura obtineret, eo mitiorem se praebiturum rebantur. Ideo et apud Homerum multi et pulchri boves mactantur, et Dianae ante bellum Persicum tot boves, quot hostes occiderint, se mactaturos esse Athenienses spondent (Xenoph. Anab. III 2, 12), et dies festi in deorum honorem acti tanto luxu, tam magnis impensis celebrantur, et templa tam pulchris tamque pretiosis signis ornantur; non modo pulchri studium, etiam deorum religio ad ea Athenienses impulit.

Tantum viri quales erant Sophocles [1]) et Socrates altius rem perspexerunt; Socrates Hesiodi illud:

κάδ' δύναμιν δ' ἔρδειν ἱέρ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν,

hac ratione explicare solebat: deos non maxime magnis sacris gaudere sed illum, qui pro suis viribus illis sacra ferat et puro sit animo, superis esse gratissimum. Ex poëta antiquo, ut fieri solet, plus a philosopho extrahebatur, quam in poëta ipso erat — Hesiodus enim diis, quantum possint homines, tantum dandum esse et quemque, ut sit dives, dona afferre oportere praecipit — sed id nihil ad rem. Socrates *ἐνόμιζε τοὺς θεοὺς ταῖς παρὰ τῶν εὐσεβεστάτων τιμαῖς μάλιστα χαίρειν* (Xenoph. Mem. I 3, 3). Quae tamen Socratis opinio aperte omnibus civitatis civiumque opinionibus repugnabat et iure, ut mihi videtur, eam unam e multis causis ducit vir clarissimus Is. van Dijk cur Socratem cives sui diutius tolerare non potuerint (Het conflict tusschen Socrates en zijn volk 1890 pag. 52).

Sed utut est, talia non frigidus poëta dicit et nepos, quem omnia mutasse et depravasse Schöllius contendit, non tam pulchram sententiam proferre potuit. Sane concedo versus, in quibus libationes describuntur, nobis ieiunos videri, sed non ita Athenienses fabulam

---

[1]) Quae in capite secundo de poëtae informationibus dixi, talem sententiam ab eo non esse alienam iam satis demonstrant.

spectantes iudicasse arbitror. Ritus noti, qui saepe usu veniret, descriptio sine dubio Atheniensibus grata fuit et tunc aliis atque hodie auribus accipiebatur.

Quas ob causas quominus vs. 461—510 a Sophocle scriptos putemus, nil obstare credo, immo vero certum duco eos non a mediocri poëta esse additos neque cum ceteri dramatis pugnare indole.

E locis quibusdam comperimus, ita Schöllius, Thebis partes populares Oedipodi favere; Ismena non potest Thebis manere ibique omnia audire oracula omnesque nuntios, non potest mulo vehens ad patrem venire, nisi a civium parte iuvetur; Theseus adversus Creontem loquitur quasi non omnium civium iussu agat sed multi quae faciat vituperent et Oedipus ipse multum, ut agat patria, sua interesse declarat vs. 791, quem versum Schöllius ita interpretandum censet, ut inde appareat Oedipum tyrannorum imperium vituperare et alteri favere civium factioni [1]). E quibus omnibus apparet necessitudinem quandam Oedipodi esse cum Thebis eamque non cum domo regia sed cum partibus popularibus [2]). Addi potest quod Thebarum reges τύραννοι, Theseus vero semper ἄναξ appellatur, quo magis Thebanorum partes Oedipodi infestae odium nostrum moveant. Nepotis haec omnia additamenta sunt, ut priorem inter Thebanorum et Atheniensium populares concordiam celebret.

Omnia aeque mira mihi videntur neque, quo modo excogitari potuerint, intellego. Nil obstat, quominus Ismena apud avunculum vel fratres habitet et in domo regia omnia, quae nuntii afferant, statim audiat; ex Thesei verbis nequaquam effici potest Athenarum regem Thebas sibi fingere in duas partes distractas; tantummodo Creonti obiicit, istum, cum iure agere mandatum sit, ius violare et nefarie contra ius belli ac pacis erga propinquos grassatum esse. Cur non idem cives, qui eum ad exulem reducendum miserant, improbam agendi rationem vituperare possunt? — Vocabulum autem

---

[1]) Schöll pag. 404: Triumphirend fragt der vater: „Habe ich nun über Thebens angelegenheiten nicht bessere einsicht (oder gesinnung) als du?" .... hiermit leugnet er und stürzt er die regierungspartei, die fürstliche Kadmeër. Handelt er dabei gleichwohl für den Theberstaat, so ist es im Democratischen sinne und muss der anhang, den er noch in Theben hat, eine Democratische partei sein.

[2]) Viri doctissimi K. Lachmann et A. Boeckh iam ante Schollium talia enuntiaverunt.

τύραννος semper de Thebarum regibus adhibetur (vid. Oed. Tyrannum vs. 514, 799, 925, 939, 1043 Antigonamque) et, licet de Theseo poëta alio utatur vocabulo, nulla causa exstat, cur de industria eum ad iram spectatorum in Thebanos movendam illo Creontem et Polynicem appellare credamus. Postremo vs. 791:

ἆρ' οὐκ ἄμεινον ἢ σὺ τὰν Θήβαις φρονῶ;

nihil aliud significat nisi:

„nonne melius quam tu, quid Thebis impendeat, video?" quale dictum ei aptum est, qui minus recte quam ille, ad quem loquitur, de re quadam iudicare posse alteri videatur. Oedipus se, cui nullum cum Thebis sit vinculum, deorum oraculis edoctum, plus quam cives et Creontem ipsum de Thebarum fortuna scire gloriatur. Partes illae populares ex inani et falsa Schöllii opinione fluxerunt!

Minoris momenti est, quod Schöllium offendit Oedipum in prologo semper idem rogare, in considendo autem imbecillum fingi, sed postea nunquam inopia virium impediri, quominus hoc illudve faciat; ea nepotem Sophoclis addidisse putat, qui frigidus erat poëta, ut Oedipodis inopiam et miseriam indicaret.

Attamen ne illa quidem inter se pugnare mihi videntur neque talia esse, quae Sophocli abiudicemus. Oedipus caecus est, non videt, quo loco, qua regione versetur; recte igitur saepe eum de illis rogantem facit poëta, ut nobis, quantopere senex caecus alieno auxilio egeat, clarum fiat; neque tamen idem semper rogat, sed modo hoc modo illud. Errat porro Schöllius, cum contendit Oedipum ex Eumenidum luco egredientem et in lapide considentem ob imbecillitatem Antigonae auxilio egere; non ob imbecillitatem sed ob caecitatem a filia iuvetur necesse est eandemque ob causam queritur ἰώ μοί μοι (vs. 198).

Verum omnia Schöllii enumerare argumenta et, quae falsa videntur, redarguere longum est. Inane praeiudicium documentis magno mentis acumine conquisitis sed nihilominus falsis demonstrare conatus esse vir doctus mihi videtur et iis, quae dixi, hoc unum additum velim.

Cum in aliis rebus tum in hoc magnopere me iudice Schöllius erravit, quod maiorem fabulae partem Sophocli abiudicat et a frigido poëta compositam esse contendit. Concedo plura quam in aliis hac in fabula inesse, quae absone sint dicta vel intellegi non pos-

sint; sed ea sunt pauca, si totum respicias drama. Quod si cum Aeschyli vel Euripidis qualibet compares fabula, Sophocleum hoc esse et quod ad opiniones argumentumque et quod ad versus pertineat, statim apparet. Inesse quaedam a Sophocle aliena, opus esse non ad finem perductum assentior; sed tamen tragoediam, quae nobis est tradita, eadem manu, qua sex reliquas, litteris mandatam esse pro certo credo.

Qui dubitat, is, quaeso, meminerit interpolatorum antiquorum artem, recordetur, quam facile ipsi se prodant versus spurii et inserti, quam longe a vero poëta versificator distet. Si enim revera magnam fabulae partem alius poëta scripsisset, non interpolator non frigidus poëta ille fuisset neque tantam vesaniam illi imputare possemus, ut, quod illi tribuerit Schöllius consilium, mente conceperit. Sed meo iure rogare mihi videor, ubi in litteris Graecis tale quiddam factum audiverimus, ubi, postquam opera litteris mandare poëtae consueverunt, alius poëta alterius artem tam perfecte imitatus sit, ut in carmine ab alio scripto, a se deinde retractato, non vestigia mutationis et suae ipsius manus luce clarius proderet. Incredibile istud mihi videtur et Oedipum Coloneum nullius nisi senis poëtae fabulam imperfectam habeo.

Quodsi coniectura de fabulae origine mihi esset proponenda, hoc fere dicerem. Sophocles senex novam tragoediam componere instituit; Oedipodis, personae sibi gratae, vitam posteriorem traditurus, argumentum, quod ex mytho, qui dicitur, Oedipodis unum sibi reliquum fecerat [1]), tractaturus, regionem nativam celebraturus, fortasse etiam Oedipodis herois nuper in pugna quadam Atheniensibus opitulati potentiam illustraturus erat, sed, quo modo ex illis unam componeret fabulam, nondum ipse secum constituerat vel in scribendo occupatus consilium subinde mutavit. Propter aetatem provectam non tam facile, quam antea dramata componebat: ita magnis partibus perfectis morte abreptus non fabulam sed fragmenta reliquit, quae nepos magna reverentia in unum consarcinavit, hoc maxime curans, ut quam paucissimos versus deleret adderetve.

At talia suspicari tantum licet, hoc vero mihi esse demonstratum spero:

in fabula, qualis ad nos pervenit, Oedipum non ut exemplar

[1]) Antea Oedipum Regem, Antigonam, Epigones sive Eriphylam composuit.

virtutis nobis poni ante oculos, sed ut virum mortalem mortalium vitiis obnoxium, cuius animus rebus adversis et diuturno exilio magis efferatus, ulciscendi cupidus, iracundus quam humilis, purus sanctusque factus sit;

non de industria Eumenidum lucum electum esse, ubi heros e vita placide cederet, non Furiarum potestatem in vita cerni exulis;

sed Oedipum senem eadem ratione, qua Oedipus rex sine culpa sua a diis esset afflictus, non pro meritis, immo vero illo minus quam antea dignum honore, vitae curis miro modo liberari et gloriam adipisci apud posteros **gratia deorum superorum.**

THESES.

THESES.

I.

Oedipus non sanctus sed sacer a Sophocle fingitur.

II.

Oedipodis vitam apud Sophoclem non Furiae sed superi gubernant.

III.

Iniuria semper perhibetur: „Tragoediam Aeschylus creavit, Sophocles excoluit." Uterque habet, quibus alterum superat et quibus alteri cedit.

IV.

Thucyd. V cap. 103:
Ἐλπὶς δὲ κινδύνῳ παραμύθιον οὖσα τοὺς μὲν ἀπὸ περιουσίας χρωμένους αὐτῇ, κἂν βλάψῃ, οὐ καθεῖλεν· τοῖς δ' ἐς ἅπαν τὸ ὑπάρχον ἀναρριπτοῦσι (δάπανος γὰρ φύσει) ἅμα τε γιγνώσκεται σφαλέντων, καὶ .....
lege: *ἐς ἅπαξ ἅπαν τὸ ὑπάρχον.*

V.

Thucyd. IV 73, 4:

ὡς ἐπικρατήσαντι καὶ τῶν Ἀθηναίων οὐκέτι ἐθελησάντων μάχεσθαι.

legendum: *ἐθελησόντων.*

VI.

Aristoph. Pac. 834 sqq.:

ΟΙΚ. *καὶ τίς ἐστιν ἀστὴρ νῦν ἐκεῖ;*
ΤΡΥ. *Ἴων ὁ Χῖος, ὅσπερ ἐποίησεν πάλαι*
ἐνθάδε τὸν Ἀοῖόν ποθ᾽· ὡς δ᾽ ἦλθ᾽, εὐθέως
Ἀοῖον αὐτὸν πάντες ἐκάλουν ἀστέρα.

legendum est:

ΟΙΚ. *καὶ τίς ἐστιν ἀστὴρ νῦν ἐκεῖ*
Ἴων ὁ Χῖος; ΤΡΥ. ὅστις; ὡς ἦλθ᾽, εὐθέως
Ἀοῖον αὐτὸν πάντες ἐκάλουν ἀστέρα.

Verba deleta Scholiastae, qui interpretatur, non poëtae, qui iocatur, sunt.

VII.

Eurip. Phoeniss. 61:

εἰς ὄμμαθ᾽ αὑτοῦ δεινὸν ἐμβάλλει φόνον
χρυσηλάτοις πόρπαισιν αἱμάξας κόρας.

legatur *σκότον.*

VIII.

Sophocl. Antig. 648:

μή νύν ποτ᾽ ὦ παῖ τὰς φρένας ὑφ᾽ ἡδονῆς
γυναικὸς εἵνεκ᾽ ἐκβάλῃς, εἰδὼς ὅτι.....

lege *πρὸς ἡδονήν.*

IX.

Aeschyl. Sept. adv. Theb. 1015:

ὡς ὄντ᾽ ἀναστατῆρα Καδμείων χθονός,
εἰ μὴ θεῶν τις ἐμποδὼν ἔστη δορί.

legendum: *ὡς ὄντ᾽ ἂν ἀνστατῆρα.*

X.

Aristoph. Aves 1.
Duo Athenienses in scenam prodeunt, quos nulli servi comitantur.

XI.

Aristoph. Aves 435:
σὺ καὶ σὺ ad Pithetaerum et Euelpidem dicitur, non ad famulos ut Scholiastae, Kock, Blaydes arbitrantur.

XII.

Ibidem:
Versus 437 *ἀπροσδοκήτως* additur.

XIII.

Aristoph. Aves 448 sqq.:
Versus Pithetaero tribuendi sunt.

XIV.

Aristoph. Aves 656 sq.:

οὕτω μὲν εἰσίωμεν. ἄγε δὴ Ξανθία
καὶ Μανόδωρε, λαμβάνετε τὰ στρώματα.

οὕτω μὲν εἰσίωμεν verba Pithetaeri sunt; quod sequitur ab Upupa dicitur.

XV.

Aristoph. Aves 1631.

οὗτος, δοκεῖ δρᾶν ταῦτα τοῦ σκήπτρου πέρι.

Versum libri, Bergk, Meineke Herculi tribuunt, Neptuno continuant Kock, Dindorf, Hold; Blaydes dubitat.
Herculi versus tribuendus est.

XVI.

Aristoph. Aves 1565:

Post versum 1565 scena non mutatur sed eadem manet, quae in priore fabulae parte fuit.

Pithetaerus vs. 1579 demum cum servis, qui vasis culinariis coquinariisque onerati sunt, domo exit.

XVII.

Caesar Bell. Gall. II 20:

Caesari omnia uno tempore erant agenda: vexillum proponendum, quod erat insigne, cum ad arma concurri oporteret, signum tuba dandum, ab opere revocandi milites, qui paullo longius aggeris petendi causa processerant, arcessendi, acies instruenda, milites cohortandi, signum dandum.

Vocabula „quod erat insigne, cum ad arma concurri oporteret" delenda sunt.

XVIII.

Ibidem:

His difficultatibus duae res erant subsidio, scientia atque usus militum, quod superioribus proeliis exercitati, quid fieri oporteret, non minus commode ipsi sibi praescribere, quam ab aliis doceri poterant, et quod ab opere singulisque legionibus singulos legatos Caesar discedere nisi munitis castris vetuerat.

Vocabula: „scientia atque usus militum" delenda sunt.

XIX.

Caesar Bell. Gall. II, 22:

cum diversis legionibus aliae alia in parte hostibus resisterent,

Vir doctissimus Friedrich Kraner recte, Ciacconium secutus, legit „diversae legiones" neque tamen bene verba interpretatus est (diversae räumlich getrennt, auf den entgegengesetzten Seiten des

Schlachtfeldes befindlich, näher erläutert durch aliae alia in parte). „Diversae legiones" significat exercitum non ut ratio ordoque rei militaris fert instructus, sed cuius alia pars huc alia illuc versa est (met verschillend front).

XX.

IV Cicero pro. P. Sestio § 79:

Atqui ne ex eo quidem tempore id egit Sestius, ut a suis munitus tuto in foro magistratum gereret, rem publicam administraret.

Dele „magistratum gereret."

XXI.

Horatius Ars Poëtica, vs. 60 sqq.:

Ut silvae foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit aetas,
Et iuvenum ritu florent modo nata vigentque.
Debemur morti nos nostraque.

legendum:

Ut silvae foliis pronos mutantur in annos
Et — iuvenum ritu florent modo nata vigentque —
Prima cadunt etc.

XXII.

Vergilius Aeneis IV 358:

Ipse deum manifesto in lumine vidi
Intrantem muros, vocemque his auribus hausi.

legendum: manifestum.

XXIII.

Tacitus Ann. I 70:

At Germanicus legionum, quas navibus vexerat, secundam et quartam decumam itinere terrestri P. Vitellio ducendas tradit, quo levior classis vadoso mari innaret vel reciproco sideret.

legendum: neve.

XXIV.

Tacitus Ann. II 6:

Insula Batavorum in quam convenirent praedicta, ob faciles adpulsus accipiendisque copiis et transmittendum ad bellum opportuna.

legendum: transmittendis.

XXV.

Tacitus Ann. III 63:

Quorum copia fessi patres, et quia studiis certabatur, consulibus permisere, ut perspecto iure, et si qua iniquitas involveretur, rem integram rursum ad senatum referrent.

Nihil omissum corruptumve est.

XXVI.

Tacitus Ann. III 44:

ut solitum per illos dies egit, altitudine animi, an compererat modica esse et vulgatis leviora.

legendum: an quia compererat.

XXVII.

Het is ten zeerste in het belang te achten van het gymnasiaal onderwijs, dat er populaire werken over de Mythologie, Religie, Litteratuur en Philosophie der Classieke Oudheid in smaakvollen vorm uitgegeven worden en door toedoen der leeraren bekend worden en gezocht raken bij de Gymnasiasten.

XXVIII.

Het is slechts aan een merkwaardig conservatisme der Classieke Philologie te wijten, dat in de textuitgaven der scenici nimmer opehelderingen betreffende scènerie en actie worden gegeven.